181151

Országos Könyvtári Központ
Nem adható el!
budapesti raktárából

3 L 2847

# OPUSCULUM QUÆSTIONUM,

Cum ſubnexo circa easdem

# DISCURSU

*DE*

PECORUM & PECUDUM ABACTIONIBUS, SEU ABVAGIATIONIBUS, HASQUE - CONCOMITANTIBUS CONSIDERATIONIBUS.

*QUO*,

Dominorum Dominorum Principalium ſuorum, Domini Officiales, in eorundem Bonis conſtituti, hancque Materiam in dies obviam habentes, pro Caſuum occurrentium diverſitate, aliquam Directionem, & Informationem habere poſſint.

*Connotavit*

Celſiſſimi condam Sacri Romani Imperii Principis Domini, Domini JOSEPHI ESZTERHAZY de Galantha &c, Dominorum Dominorum Hæredum (Tit.) &c.

*ET*

Excellentiſſimi, ac Illuſtriſſimi Domini Comitis Domini GEORGII ERDŐDY, de Monyoró-Kerék (Tit.) &c. nec non Inclytæ Familiæ Thurzo Bonorum Arva, & Lietava

CAUSARUM DIRECTOR

PAULUS PRILESZKY de eadem

---

Impreſſum, ANNO M.DCC.XXXVII.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

NAGY IVÁN

EXcellentiſſimo, ac Illuſtriſſimo Domino Comiti, Domino GEORGIO ERDőDY de Monyoró-Kerék, Montis Claudii, & Varasdienſis Perpetuo, ejusdemque, ac Barſienſis Comitatuum Supremo Comiti, Sacræ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Actuali Intimo Conſiliario, Camerario, Colonello, Inclytæ Cameræ Regiæ Hungaricæ Præſidi, Excelſi Conſilii Regii Locumtenentialis Conſiliario, ac Sacræ Regni Hungariæ Coronæ Cuſtodi, Conſervatori.

TAMQUAM ETIAM.

CElſiſſimi Sac. Rom. Imperii Principis Domini, Domini PAULI ANTONII ESZTERHAZY de GALANTHA, Perpetui in Frakno, Inclyti Comitatûs Sopronienſis Perpetui Supremi Comitis (Tit.) &c. nunc in exteris Provinciis viſitandis, conſtituti: prout &:

ILluſtriſſimi Domini Comitis, Domini NICOLAI ESZTERHAZY, de eadem GALANTHA, Perpetui in Frakno, (Tit.) &c. nunc Viennæ pro ſtatûs ſui exigentia, Juridica, & Politica tractantis.

CElſiſſimi condam Sac. Rom. Imperii Principis, Domini JOSE-

JOSEPHI ESZTERHAZY de dicta GALANTHA, magnæ Memoriæ Principis olim PAULI ESZTERHAZY, Regni Hungariæ Palatini, &c. Filii, Filiorum, poſt ejusdem Principis JOSEPHI, deſideratiſſimi Domini Genitoris eorum, adhuc ANNO M.DCC.XXI, Die 7. Junii, in Arce Kis - Martony, ex hac miſeriarum valle, ad æternitatem migrantis, Fata Remanſorum Pupillorum, reſpectivè Tutori, Curatori, & abſoluto Plenipotentiario, &c. Non abſimiliter.

EXcellentiſſimi condam Domini Comitis, Domini NICOLAI PALFFY ab ERDŐD, Regni Hungariæ Palatini, &c. mi-

 noren-

norennium Hæredum, pariter Tutori, ac Curatori, &c. ac

INclytæ Familiæ Thurzó, Bonorum Arva, & Lietava Directori, & æquè Plenipotentiario, &c. (Tit.) Domino Domino Suo gratioſiſſimo.

DEDI-

# DEDICATIO.

DEtinebar equidem, an hujusmodi opuſculi ſignaturas, quantumvis, non absque temporis intervalló, collectas, Excellentiæ Veſtræ, in dies, graviſſimorum Negotiorum mole obrutæ, perſpicacibus oculis, ſubſternere poſſim, ne, vel importunitatis notam incurram, vel cum hocce vili opuſculo, præſumptuoſus eſſe cenſear: ſed è contrà animalo, præſumptuoſus eſſe cenſear: ſed è contrà animavit me, Excellentiæ Veſtræ altitudo Animi; Ingenii Sagacitas; in Literatos ſingularis propenſio; ac præſertim, in Patrii Juris cognitionem, indefeſſus Labor; in tantum impenſus, ut in magis arduis, quas publicas Conſtitutiones, alii quandoque laboriosè perquirere debent, easdem Excellentia Veſtra, felicitate localis memoriæ, & longa Experientia opitulante, rariori exemplo, non minus, quam ex feràciſſimo promptuario, accuratiſſimè proferre poſſit; Et hinc Excellentia Veſtra, non cœ-

*ca fortuna*, *alias etiam diverſis viciſſitudinibus exagitari ſolita*, *Duce*; *ſed longa meritorum copia ſuffragante*, *per Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ Clementiam*, *tot*, & *tantis dignitatibus*, *ſui condecorationem promerita eſt*; *cumve in comperto habeam*, Excellentiam Veſtram, *ad indefeſſos labores natam*, *tanta longæ Experientiæ facilitate pollere*, *ut non modò ingentibus*, *pro Dignitatum ſuarum exigentia*, *cumulatis*, *iisque ſumme arduis functionum ſuarum Muniis*, *ex æquo reſpondeat*, & *ſatisfaciat*; *ſed* & *vix ſupereſſet*, *quodcunque momentoſum immenſarum difficultatum*, *aſt practicabile*, *negotium*, *quod aſſumptum*, & *penitius ruminatum*, *ſuperare non poſſit*: *adeoquè hocce vile*, *in ſuis Summariis Quæſtionibus comprehenſum opuſculum*, *ſi etiam intueri dignabitur*, *illud*, *non aliquo impedimento*, *eſſe*, *quin potius ſucceſſivè*, *Sublevationi deſervire poſſe*, *exiſtimarem*: *Etenim*, Excellentia Veſtra, *ampliſſima Bona Celſiſſimi Principatûs Eſzterháziani Hæredum*, &c. *Item Excellentiſſimi olim Domini Comitis*, *Domini Nicolai Palffy ab Erdöd*, *Regni Hungariæ Palatini*, *Minorennium*, *æque Hæredum*, &c. *in diverſis Regni partibus*, *longè*, *latèque diſſita*, *ac propria etiam Copioſa*, *æquè in Regno Hungariæ*, & *Croatiæ Partibus*, *adjacentia*, *dirigente* & *gubernante*:

*caſibus*

*caſibus autem Abactionum, ſeu Abvagiationum, in tot, & tantis Bonis, ac Juribus Poſſeſſionariis, cum commetaneis, pro & contra, frequentiùs intercedentibus, humillimæ obligationis meæ, etiam in poſteritatem meam propagandæ, intuitu; pro eorum, quorum intereſſet, aliqua directione, hocce opuſculum, in ſinum Titulati Celſiſſimi Domini Principis;* Excellentiæ Veſtræ; *& Illuſtriſſimorum Dominorum Comitum, collocandum cenſui; quo* Veſtra Excellentia, *caſibus Abactionum, & Abvagiationum, toties moleſtata, ab iisdem aliquatenus immunitari poſſit; Nam quamvis vaſtiſſimum Corpus Juris Hungarici plurimis Articulis refertum, in eoque opus Tri-Partitum Verbôczianum dictum, ſat quidem ſolidè, attamen, compendioſè elaboratum, ſupereſſet; ſi nihilominus contextus Articulorum inſpiciatur, nimis exigua eorundem pars, Juridica continere deprehendetur, & ibi quoque illa vix aliquot Lineolis attinguntur, cùm tamen ferè ſingulæ, Juridica tangentes materiæ, ſuos Tractatus exigerent; veluti etiam, ſuperioribus Seculis, Quadripartitum; Annis autem recentioribus, glorioſè modo regnante Regia Majeſtate, Syſtemata, Juridicum quidem, per Regiæ Majeſtatis, & Regni Dominos Dominos Commiſſarios, præprimis Poſonii, in ſuas obſervationes ſumptum; Militare*

 *verò,*

*verò*, Politicum, *&* Oeconomicum, *æquè* Poſonii, *me calamum ducente*, *elaborata fuerant*; *quod* Juridicum, *tandem* Viennæ, *magnæ exiſtimationis*, *ac dignitatis*, *ſummæque experientiæ virorum operâ*, *directione*, *&* *modificatione*, *ſuffragantibus*, *ex prænotatis obſervationibus*, Poſonii *elaboratis*, *in* Textum Legis Tri-partitalis, *ſecundum* Perſonas, Res, *&* Actiones, *in ſtylum redigere mihi licuit*; *prout*, *&* *complura eruditorum utilia ſcripta*, *præ diverſorum manibus conſpiciuntur*, *quæ ex* Juris *conſultorum prudenti* Judicio *concinnata*, *non poſtremam* Regnicolis *directionem præbere poſſent*, *ſed illa*, Patronis *deſtituta*, *præter unicum opus* Kithonichianum, *non minus*, *quam ſepulta*, *hærerent*. Conſignaveram *ſummariè ego quoque*, *pro* Tyronibus Juridica *tractantibus*, *ante complures* Annos, Modum *&* Formam Proceſſualem *in* Comitatibus, *&* *ſedibus* Dominorum Terreſtrium, *obſervatam*; *quas ſignaturas*, *cum in diverſorum manibus*, *non admodùm alienô* Animô *volvi*, *obſervâſſem*; *hocce opuſculum quoque in ſuas* Poſitiones, *&* Quæſtiones *redigendum cenſui*; *diffiteri quidem non poſſum*, *illud exactiori adhuc elaboratione egere*, *ubi nonnulla*, *quaſi iterari videntur*, *quæ utcunque iisdem* Quæſtionibus, *compendiari potuiſſent*, *ad ipſos autem* Caſus, *pro imbecillitate ingenii*, *opinione poſi-*

*ſa; eorundem deciſio, ad altiorum Judicium pertineret; Conſiderato tamen Quæſtionum contextu, easdem pro Caſuum diverſitate, diverſos fines reſpicere, deprehendetur; me ſiquidem, in dies, diverſis occupato, dum illud iteratis Vicibus abrumpere, ac continuationem, in Menſes, uſque dum itidem aliquid Otii ſupererat, protrahere neceſſitabar, ea de facili evenire poterant, nonnullæque Poſitiones ſecundum materias recurrentes; neceſſario, reiterari debeant. Quo opuſculo, jam tandem concluſo, ſimilia, pacificus Lector, prudenti ſuo Judicio modificare, dignabitur, & non gravabitur: Hæc etenim, pro iis, qui aliorum laborem rodendo, cenſurare ſolerent, ipſimet autem, pro publico ac aliorum commodo, vix unquam vel aliquam Lineolam apponerent, haud deſervirent; ſi cui vero, in his, vel aliis Juris Materiis, exactiorem laborem apponere viſum fuerit; illi, quorum intererit, una mecum, gratiſſimo percipient animo, ex parte mea ſatisfactum eſſe exiſtimarem, dum ego, pro virium meatum exiguitate, erga* Celſiſſimum Principatum Eſzterhazianum; Excellentiam Veſtram; *ac eos, quorum Tutelam, & Curatelam, ingenti eorum emolumento, & facultatum augmento, geſſit, & gerit; ac ſi quibus etiam aliis, haſce ſignaturas meas pervolvere viſum fuerit, hu-*

*millimi*

*millimi Animi promptitudinem, & inveteratum meum obſequendi ſtudium demiſiſſime exhibere voluerim. Quod opuſculum, ut gratiâ ſuâ complecti, eidemque, & mihi, ac meis, propenſo animo patrocinari dignetur, ſupplex exoro, ſimul, ac ad humillima obſequia, me, & meos, ad aras uſque devoveo.*

*POSONII Die 7. Februarii ANNO M.DCC.XXXIV.*

Paulus Prileſzky.

COM-

# COMPENDIUM QUÆSTIONUM.

## CAPUT I.

*Summarium.*

DE pecoribus, pecudibus, ſetigeris, volatilibus, ſeu altilibus, in damnis repertis; quid cum iis, ita & eorum cuſtodibus agendum eſſet?

## CAPUT II.

*Summarium.*

De Sylvarum decorticatione, & ſucciſione.

## CAPUT III.

*Summarium.*

De pecorum Abactione, ex Territoriis, intra Comitatum, aut cum vicinis comitatibus, vel etiam Regnis, & Provinciis controverſis, ſeu in controverſiam ſumptis.

## CAPUT IV.

*Summarium.*

De abactorum pecorum, ad manus Judiciarias inſtituenda aſſignatione.

## CAPUT V.

*Summarium.*

De pecorum è manibus Judiciariis exemptione.

CA-

# CAPUT VI.

*Summarium.*

De pecorum, ſub tempus abactionis, cura, intertentione, utilitatisque ex iisdem perceptione.

# CAPUT VII.

*Summarium.*

De damnorum, per abacta pecora illatorum compenſatione.

# CAPUT VIII.

*Summarium.*

De prohibitis, & Mulctis, circa Vineas, Hortos, Prata, Paſcua, Sylvas, dictandis, & promulgandis.

# CAPUT IX.

*Summarium.*

De Marcarum, ob omiſſam Abactorum pecorum, ad Manus Judiciarias reſignationem, incurſu, & deſumptione, jam in præmiſſis quoque, pro caſuum diverſitate attacta.

# CAPUT X.

*Summarium.*

De Judicibus, & Proceſſu in facto abactionis pecorum, & Marcarum deſumptionis obſervando.

In huius Opuſculi fine inſeruntur Partis 3. Titulus 33. & Anni 1729. Articulus 42. Materiam Abactionis, ſeu Abvagationis nimis ſummariè tractantes, in ſuos §. partiti.

CAPUT

# CAPUT I.

*Summarium.*

## De Abactione, ac Invagiatione, & quid cum Pecoribus, Pecudibus, Setigeris, Altilibus, ſeu Volatilibus, in damnis repertis, ita & eorum Cuſtodibus agendum?

## QUÆSTIO I.

*An Abactio, & Invagiatio ejusdem ſignificationis ſit, ac quæ, & qualia Pecora abigi ſolent?*

SI vetuſtiores inſpiciantur Leges, quamvis *in Partis Tertiæ Titulo* 33. *attingatur, ſi quis &c. Equos &c. de ſegetibus, &c.* propter *illata damna, impulerit, Vagiandos & taxandos; in Anni autem 1647. Articulo 142. Anni 1655. Articulo 59. ubique* non niſi vocula Abactionis deprehenditur; *Verùm primo in Anni 1729. Articulo 42.*

Inva-

Invagiatio, & Abactio denotatur, quibus voculis examinatis, Abactio, videtur eſſe univerſalis, omnia ſiquidem Pecora, ſivè in Damnis, ſivè extra Damna conſtituta, ac ſivè ſub Cura, ſeu Cuſtodia, ſivè extra divagantia reperiantur, illa abiguntur; *Verùm in Tomo primo Tripartitali, editionis Viennenſis Anni 1628. in Indice rerum & Verborum apponitur, vagiare eſt pecus ob damna areſtare, & abigere prout nimirum etiam in præcitato Titulo Tripartitali continetur.* Alio autem intellectu, in eundem ſenſum collimante, Invagiatio videtur, non minùs, quam impropriè derivari, à vagus, ſeu vaga, quaſi vaga Pecora invagiarentur, adeoque quadantenus particularis eſſet; & hinc Pecora illa, quæ cuſtodibus deſtituuntur, aut per incuriam cuſtodum divagantur invagiari; Quæ etiam ſub Titulum Abactionis cadunt, Pecora tamen ex profeſſo præjudicioſè ad Terrenum alienum, aut etiam ad inferendum Damnum, impulſa, non videntur directè ſub Titulum Invagiationis cadere, cum illa non vagantia, ſed cuſtodita reperiantur, quamquam etiam cuſtodita vagari poſſint; Unde ex præmiſſis infertur, violenter, ad inferendum damnum impulſa Pecora abigi, & reſpectu abactorum, pro caſuum diverſitàte, etiam violentiam acquiri; vaga autem pecora invagia-

ri, &

ri, & in his caſibus, non involentiam, ſed, ſi Damnum inferatur, illud recuperari poſſe. Ceterum *ſecundùm contenta Partis Tertiæ Tituli* 33. Equi, Boves, Porci, & aliæ Pecudes, vel Pecora, de Segetibus, aut Pratis, & Fœnilibus, vel Sylvis glandinoſis prohibitis, propter illata Damna, impelluntur, & invagiantur, taxanda.

# QUÆSTIO II.

***An ejusmodi Pecora, & Pecudes, in Segetibus, Pratis, Sylvis &c. reperta, quæ Damna nondum intulerunt, abigi poſſint? vel verò ſimiliter expellenda eſſent?***

SI talia Pecora, præſertim in ſegetibus; Pratis, & Vineis, reperiantur, vix poteſt ſupponi, ut ſinè illato Damno ibidem exiſterent Juraque bonæ vicinitatis exigerent, ut ſi nullum, vel nimis exiguum damnum reperiatur; talia Pecora, absque ulteriori Abactione expellantur, prout & finis conditæ Legis, de Abactione, & ſubſequenda Damni refuſione, illationem Damni præſupponeret; ſed quia cognitio Damni, ad Judicem ſpectaret, ac ſive ex ratione conculcatæ, aut conculcandæ fructiferæ Terræ, ſive jam per quoscunque illati Damni, talismodi Pecora, quaſi ex actibus frequentatis, eò deveniſſe viderentur, idemque fervor, contrà Pecora, inter ſperatos

tos Fructus exiſtentia, moram conſiderandi Damni non pateretur, ex eo, Abactione, bona Fide, circa arcendum à ſuis fructibus Damnum, cavendamque exemplificationem, procedente, videtur inſtitui poſſe Abactio, ex tali Terreno ſuo, quod jam aliquem fructum proferret, ſeu conculcationem, ſive alias quôquômodô ſecuturam illationem damni, ſecum ferre videretur; ſi autem Pecorum impulſio, vel aliàs Terreni alicujus invaſio, cum ſuſpicione, efficiendæ controverſiæ, non inanitèr præſumenda, in tale Terenum fiat, quod per qualemcunque modalitatem, in controverſum uſum ſumi poſſe videretur, tali in caſu, ſinè omni difficultate, Abactio inſtituenda eſſet; imo *vigore Anni 1729. Articuli 42.* abſque præjudicioſè admittendo uſu, intermitti non poſſet.

# QUÆSTIO III.

*An Cuſtodibus Territorum, aut hoſpitibus, quibus Damna inferuntur, Paſtores Pecorum, & præſertim incurios Pueros Pecora paſcentes, quôquômodô caſtigare, Verberibusque afficere liceat?*

Licet quidem paſſim, præſertim in tolerabili Vicinitate obſervetur, ubi Pueri deprehenduntur, per quorum incuriam, Pecora, ſegetes, Prata, Vineas &c. ſubintrant, ut quaſi

quaſi per formam rerum defenſæ, illi moderatè virgis, aut baccellô, ſeu aliis modis, absque tamen Pecorum Abactione, caſtigentur: Sed quia ex intemperata Caſtigatione, plerumque etiam inconvenientiæ eveniunt, & nec Lex ullibi, in ſimilibus Caſibus, verbera admitteret, verùm Abactionem inſtituendam præſcriberet; unde præſtat Pecora abigere, & ad Damni refuſionem procedere, quam in aliquam culpabilem inconvenientiam incidere

# QUÆSTIO IV.

*Si Paſtores Pecorum impediant, & non admittant, Abactionem, an poſſint Verberibus affici?*

QUandoquidem Pecora, ex Damnis pro illati Damni Teſtimonio abigantur, Abigensque, indultu Legis, in ejusmodi Abactione procedendo, ea ratione, ſua Jura, ſuaque Bona, & fructus ſuos tueretur, protegeret, & manuteneret, ejusmodique violentus aggreſſor, etiam propriæ Perſonæ facto, Abigentem in manutentione Jurium Legalium, turbare, & impedire intentaret; non inconvenienter ecquidem, Abigens, in defenſionem Jurium ſuorum talem reſiſtentiam, & Abactionem, moderatis ictibus, absque tamen periculo nimiæ læſionis, arcere poſſe videretur, tum ex eo, quia propriarum rerum, &

Jurium defenſa, ex Lege licita eſſet, cùm etiam, quia ex juſta cauſa, Abigentis primi motus, perperàm, per non admiſſam Abactionem, concitati propria impedientis culpa, & inſolentia Provocativa, talem caſtigationem ſibi procurare cenſeretur. Priusquam tamen, ex hujusmodi contentionibus. & verberibus, de facili, graviores inconvenientiæ, ac ne fors, etiam Neces, interveniant, præſtat, vel res penes eos habitas, pro Teſtimonio, auferre, tandem redimendas; vel ſi violentia inferatur, viâ Juris, hujusmodi Injuriam vindicare.

# QUÆSTIO V.

*Quid ſi Paſtor, ſeu Cuſtos Pecorum, diſpargat hinc inde Pecora, aut aliàs profugiant, ne abigi poſſint, an Paſtores caſtigare liceret?*

PRæmiſſo in Caſu, ſi aſtutiâ pueri, aut ætate junioris, id fieret, moderata Caſtigatio non inconvenienter adhiberi poſſet, eâ tamen adhibitâ cùm per hoc ſatisfactionem ſibi procurâſſe videretur (quamvis talis Caſtigatio, ad aſtutiam Pueri excutiendam, imputari poſſet) refuſionem tamen Damni, niſi fors notabile eſſet, hac ratione difficulter prætendere valeret, interim pro vitandis, in immediatè præmiſſa quæſtione, annotatis quibusvis inconvenientiis, præſtat, ſi res penes talem Paſtorem habitæ, ut eſſent, Cothurni, Pilei,

Pile , Cinguli Gauſape &c. & alia ſecundùm cujusque ſtatum habita , in Teſtimonium , & pignus legale auferantur, tandemque ab auferentibus redimantur.

# QUÆSTIO VI.

*An Pecora, ſeu Profuga, & oberrantia, ac ſive in Damnis, ſive extra Damna reperta, abigi, & impelli poſſint?*

HUjusmodi Pecora, ſive Profuga, ſive deperdita, ac ſive in Damnis, ſive extra Damna reperta, & quidem, ſi in Damnis reperiantur, ex ratione Legis, Abactionem admittentis, abigi poſſunt, ſive conſtet de Pecorum Hoſpite, ſive non; Pecora verò extra Damna exiſtentia, niſi certitudo conſtet, illa eſſe, ſeu profuga, ſeu deperdita, non videtur eſſe ratio, cur invagiari deberent; ſi tamen ſuſpicio talium eſſet, vel ex ratione ſui proximi vitandi Damni, Judici loci, talia Pecora notificari deberent, ut ſi Hoſpes eorum in Loco non daretur, cura talium, uſque dum Hoſpes aderit, ex officio haberi poſſit, *id ipſum etiam paritate Articuli* 31. *Anni* 1545. *de profugo in Caſtris Equo Capitaneo reſignando, ſonantis, exigente*, ac tandem intra triduum, pro vitanda omni inconvenientia manibus Judicis comitatenſis, reſignanda eſſent.

# QUÆSTIO VII.

*An Pecora extra Territorium, aut Terrenum, ubi Damnum illatum eſſet, reperta abigi poſſint?*

SI Cuſtos Territorii, vel etiam ejusdem Fundi, ubi Damnum illatum fuiſſet, ibidem Pecora exſtitiſſe conſpexit, illoque obſervato, vel aliàs etiam, Paſtores Pecora expuliſſent, eo, & non alio Caſu, aut erga Delationes, talismodi Pecora, in continenti perſecuta abigi poſſent; nam niſi ibi deprehendantur, ſi etiam à longè, aſt cum Dubitatione, an re vera ibi ſint, viſa fuerint, abigi non poſſent; alias abigens, in Culpam incideret; perſecutio tamen talium Pecorum, per commune, vel promiſcuum Terrenum admitteretur, ſi enim præter Terras, Prata, Paſcua, & Sylvas adfundum alienum deveniat, fundum alienum, præſertim ad Actum aliquem Jure prohibitum, perpetrandum invadere non liceret, multò minùs in alieno Territorio, pecus abigendum, vel ex eò perſequi poſſet, quia Leges, intra, non autem extra Territorium, Pecora abigenda admitterent. *Ad hanc peſecutionem, Anni 1729. Articulo 22. de Terrarum inſecutione ſonante, quadantenus concurrente.*

QUÆ-

# QUÆSTIO VIII.

*Sunt Caſus, præſertim in anguſtioribus Territoriis, ut Famuli vel maximè de nocte, Equis inſidentes, eosdem ſive in Pratis, ſive in ſegetibus paſcant, ita, ut, quàm primùm aliquem ſupervenire obſervaverint, profugere poſſint; Quid cum talibus agendum?*

VElut tales aſtuti famuli, in Pabulandis Equis ſuis induſtriam adhibent, ita etiam Cuſtodes, ſeu Hoſpites, omnimodam induſtriam, ſive ibidem in facie Loci, ſive per inveſtigationem in oppido, ſeu Pago adhibere debent, quò tales, alios damnificantes, reſciri, & ſuô modô coerceri poſſint.

# QUÆSTIO IX.

*Si quis illegitimè abigat Pecora, & Damnificatus, quôquômodô certus in eò exiſtens, quòd vexandi Causâ, ſint abacta, an illa ſive in eodem, ſive alio Territorio exiſtentia Viâ facti, recuperari poſſint?*

QUamquàm Abactio præmiſſa, quôdam modô, ſeu prædæ, & rapinæ ſpeciem præſeferre videretur; præſertim, ſi talia, per alios, præter Cuſtodes patrarentur; notitia tamen illegitimæ Abactionis, tam repente, difficulter conſtare poſſet, niſi forte ipſemet, illicitè, furtivô modô, abactionem Pecorum inten-

intentari, in comperto haberet, & tunc *vigore Partis 1. Tituli 68.* contra furem, vim vi repellere, adeoque in continenti perſecuta, ſi absque alio majori Periculo recuperari poſſent, per hoc ille, cujus ſunt Pecora, in Actu illicito haud verſaretur; verùmtamen, ſi ſub Titulo Damni, vel Territorialis controverſiæ, undecunque, & qualitercunque abacta ſint Pecora, *ſiquidem Titulus 82. Partis 2. Pecora abacta ſub pœna violentiæ, viâ facti, recipienda vetaret*, ea recipi non poſſent. Hinc talismodi indebitus Abactor, potiùs Jure conveniendus eſſet, priusquàm ex ſimilibus receptionibus, graviores, eæque periculoſæ Lites evenire deberent.

## QUÆSTIO X.

*An Pecora Compoſſeſſorum, ſi quis ultra comportionalitatem, plura interteneat, abigi poſſint?*

EX quo in hoc Regno, ea Conſvetudo, vel etiam abuſus eſſet, ut in aliquo loco, vel unum fundum habens, ad libitum, non absque aliorum injuria, Pecora intertenere poſſit, unde evenit, ut illo, nonnunquam etiam alibi copioſiorem Paſcuationem habente, Compoſſeſſores Loci, extra eundem Locum, vix aliquid, vel nihil habentes, ſuis paſcuis fruſtrare intendat; *quo fine etiam Anni 1715. Articulus 69. circa proportionem usûs*

*condi-*

*conditus haberetur*; Abactio attamen ejusmodi Compoſſeſſoris Pecorum, difficilis eſſet, niſi aliàs, viâ juris ad certam partem Territorii, aut Pecorum numerum reſtringeretur; ſed ejusmodi reſtrictio, æquè vix ſuccederet, deberent etenim vel Pecora compendiari, vel Paſcua ſubdividi, qualis ſubdiviſio, præſertim ubi Incolatum etiam Incolæ contribuentes agerent, ferè impoſſibilis eſſet, & nec ratio boni publici eam admitteret; imò aliàs etiam, niſi fors in ampliſſimis Terrenis, id eveniret; cujusmodi Paſcuorum ſubdiviſio, hactenùs in Praxi vix fuiſſet, quin potiùs acquiſitores, paſſim portiones Territoriorum, Paſcuationis gratiâ, etiam notabiliori Pecunia, bona fide erogata, acquirentes in ſimilibus promiſcuum Paſcuorum uſum obſervarent, præterquàm, quòd ſi ſuperſint aliqui Pignoratitii, & Inſcriptionaliſtæ, qui conditiones reſtrictas intertenendorum Pecorum, & Pecudum haberent, illi enim conditiones Literarum obſervare deberent.

# QUÆSTIO XI.

***Si ſint in Loco compoſſeſſores, ſeu Pignoratii, ſeu Proprietarii, an potiores, alterius Domini Incolæ, vel etiam Dominus Terreſtris, tales Compoſſeſſores, à Paſcuis, ab olim pro communi uſuatis, probibere poſſint?***

SIve Compoſſeſſor ſit Pignoratitius, ſive Proprietarius, videretur, ejusmodi beneficium diſcernere præcedaneus uſus, *hac enim ratione, Caſus incideret in Anni 1715. Articulum 69. de proportione usûs ſonantem*; ſi verò potiori Compoſſeſſori oneroſa eſſe videretur, Particularis compoſſeſſoris compaſcuatio, idem Authore Judice, ex illegali conſveto uſu, excludendus videretur, ſi autem per quemcunque, contrà conſvetum uſum, in Territorium, tam numeroſa Pecora impellerentur, ut, per ea, potior Dominus Terreſtris, vel ipſi Incolæ conſtringerentur, eo in caſu, ille, qui, in reliquorum aggravium, id intentaret, intra Anni decurſum, à tam numeroſorum Pecorum intertentione, prohiberi poſſet, & ſi ex notabili, eaque exceſſuoſa ſuperfluitate, aliqua pars hujusmodi ſuperfluorum, & cum gravi compoſſeſſorum Damno, & oppreſſione, inductorum Pecorum abigeretur, contra violentum, & Authoritate propria, eô modô, Paſcuorum nimiam

tiam Diminutionem intentantem, non videretur eſſe res illegalis, & inconveniens, priusquàm tamen, in vexam proximi, intentata Abactio ſumeretur, tutior via Juris, eo in Caſu, pro injuriatis ſupereſſet.

# QUÆSTIO XII.

***Si quis aliquam Partem Terreni, ſeu etiam Prati ſui pro ſuo Paſcuo ſub indicenda pœna, conſervare vellet, an eidem facere liceret?***

QUantum ad ſimilem paſcuationem, & quidem reſpectu pratorum, ſive ſit Dominus Terreſtris, ſive Incola, nulla eſſet difficultas; verùm, quoad Terrenum Incolarum commune; Dominus quidem Terreſtris, *vigore Partis* 1. *Tituli* 9. hac in Parte, moderatè tamen, Jure ſuo uti, & partem Terreni, pro Paſcuo conſervare poſſet, ſed quia nimia Paſcuorum occupatio, ſpeciem opprimendæ Plebis, quadantenùs ſecum ferre videretur, *quam Anni* 1715. *Articulus* 101. *caveret*, hujusmodi occupatio ita attemperanda videretur, ut tamen ſubditi, Cenſum, Labores præſtantes, & Publica ſupportantes, cum ſuis jumentis, ſubſiſtere poſſent, Neceſſitate tamen Dominorum Terreſtrium exigente, vi præcitatæ Tripartialis Legis, hac in parte quoque Dominus Terreſtris, Juribus ſuis, liberè uti poſſet.

QUÆ-

## QUÆSTIO XIII.

*Si ſit Pratum neglectum, nec pro Prato, aut privato Paſcuo, ſub aliqua pœna, aut ſinè pœna, inhibitum, & aliquis ibidem Paſcuum exercuerit, an propterea mulctandus?*

PRata neglecta, videntur remanere pro Paſcuis, unde, vel domeſtici, vel extranei eo Pecora impellunt, ſi domeſtici, niſi ſit res prohibita, commune cum coincolis beneficium habent; ſi extranei, vel eſt Locus obvius, ad Viam, vel extra viam notabile Paſcuum exhibet, ſi ſit ad viam, niſi ſit prohibitum, itinerantibus, unum, aliud Pecus, ſeu currui junctum, ſeu pulſum, à talismodi obvio Paſcuo, non cenſetur prohiberi; ſi tamen numeroſa pecora, greges, aut armenta in communibus Paſcuis, paſcenda eſſent, *ſecundum Anni 1723. Articulum 15. quidem principaliter de Teloniis [ quæ aliàs ad Paſcua nihil haberent ] ſancitum*, Denariorum duorum compenſatio præſtari ſoleret, & hoc etiam, vel Domino Terreſtri, vel ipſis Incolis, indultum præbentibus admitteretur, aliàs, Armentarii, cum gravi Incolarum injuria, optima, vel etiam integra Paſcua de facili ruinare valerent.

QUÆ-

# QUÆSTIO XIV.

*Quale Tempus eſt liberæ Paſcuationis in Pratis, aut Terris arabilibus, ſive in Vere, ſive in Authumno?*

PRo extraneis nullum tempus, promiſcuæ liberæ Paſcuationis, in Territoriis alienis admittitur, in nonnullis tamen Territoriis obſervatur, Tempus Feſtum Sancti Georgii Militis, & Martyris, alibi autem alia Tempora, prout nimirum inter Incolas, præſertim in anguſtioribus Territoriis, concluditur; alibi verò ſemper ſub prohibitione hærent, pro quacunque Neceſſitate jumentorum in loco exiſtentium; in Authumno autem, paſſim etiam Prata, & poſt Meſſem, Terræ quoque arabiles, pro Paſcuis Jugalium prohibentur, ita, ut edictum violantes pœnam prohibitæ loci ſubire debeant.

# QUÆSTIO XV.

*Si extraneorum, ſeu quæſtorum, ſeu aliorum Pecora, in communibus Paſcuis, multò magis in Damnis reperiantur, an per quemcunque abigi poſſint?*

QUamquàm ſeu Quæſtores, ſeu Extranei, juxta *Anni 1723. Articulum 15. aliàs*, ut *præmiſſum, de Teloniis ſonantem*, certos Denarios à Paſcuis ſolvere tenerentur; attamen itinc-

tinerantibus, præſertim in Campis, ubi abundantia Paſcuorum ſupereſſet, jumentorum modica Pabulatio, Incolis, aut Prædiorum Poſſeſſoribus, nullum damnum inferens, non minùs, quàm bonæ vicinitatis jure, Regnotenùs admiſſa eſſe videretur; ſi nihilominùs Jugalia, præſertim Ignobilium, imò & Nobilium, copioſiora eſſent, præſtaret, in quantum fieri poteſt, apud eos, quorum intereſt, ſeu homines eorum, inſinuationem facere, priusquàm itinerantes quaspiam incommoditates experiri deberent.

## QUÆSTIO XVI.

*An præſertim Hyemali tempore, ubi ordinariè profundiores viæ, Nivibus opplentur, Itinerantes, per vicinas Terras inſeminatas procedentes, abigi, aut taxari poſſint? Et idem eſt etiam de alio tempore, ſi peſſimæ ſint viæ ordinariæ, ita, ut Itinerantes, quaſi inviti, per ſegetes tranſire cogantur.*

HYemali tempore, ſi ordinaria via ſit impracticabilis, cùm & aliàs eo tempore, vix aliquod Damnum in ſegetibus inferatur, Itinerantes per ſegetes procedentes, nulla tenùs inculpari, aut abigi poſſent; verùm, ſi ordinaria via commoda efficiatur, & potiſſimùm, ſi jam tempus remittat, & ex tranſitu per Segetes, Damnum ſequeretur, eo in

eo in caſu viator non tam abigi, quàm taxari aſſoleret; Par ratio eſſet viarum, etiam extra Hyemem ferè impracticabilium, quibus viis, *vigore Anni 1597. Articuli 45. & Anni 1599. Articuli 30.* Magiſtratus Comitatenſis, & Locorum; ubi verò Telonia, & vectigalia exiguntur, tenore *Anni 1723. Articuli 15.* Domini Teloniorum, Vias, Pontes, & Aggeres, in bono ſtatu conſervare tenentur, paſſim ſiquidem, per ſupinam incuriam, in vexam itinerantium, quaſi ſtudiò, ruinatæ viæ permittuntur, ſupereſſet enim ea cuſtodum, vel potiùs ad cuſtodiendas Sylvas, & campos ordinatorum, plerumque labores fugientium hominum, & paſſim helluonum nequitia, ut in peſſimis Locis viarum incommodarum, invigilantes, vel etiam ſignum, ſeu foſſuræ, ſeu crucis hinc inde conſtituentes, eô modô, ad deviandum, uno, aut altero Paſſu itinerantes dirigant, ac tum demum, quaſi ſeu in pratis, ſeu in Segetibus, Damna inferentes aggrediantur, diverſimodè vexent, & taxent: Itinerantes verò moram trahere nolentes, ac aliàs etiam, pro ſatisfactione, Judicem in campo habere non valentes, ſed & in proſecutione Itineris conſtituti, priusquàm Damnum, per augmentationem expenſarum, & moram ſubirent, potiùs deſi-

deſideratam Taxam, vel quaſi Lytrum ſolvunt, injuriamque patiuntur; cujus intuitu, ſi Caſus, ſive ad Incolas Loci, ſive comitatenſes Judices, ſive etiam Dominum Terreſtrem, deferatur, illi, hujusmodi non minus deprædatoriis, & ad malefactores ſpectantibus Exceſſibus, in conſcientia, & ex officio, ac obligatione, remedium adhibere, tales malefactores punire, ac itinerantibus de ſecuritate proſpicere tenerentur.

## QUÆSTIO XVII.

*Quô, & quali tempore, an promiſcuè poſt ſeminaturam peractam, ex Segetibus, & poſt Feſtum Sancti Georgii Militis, & Martyris, ex pratis pecora abigi poſſint?*

QUantum ad Seminaturas, ſive Seminaturæ conculcatio, ſive ſegetum radicitùs evulſio conſideretur ex ratione vitandi Damni, pecora ex Segetibus ſemper abigi poſſunt, niſi forte brumali tempore, Terrâ congelata, hoſpiteque connivente, paſcuum in ſegetibus admitteretur. Quantum ad Prata, darentur quidem Territoria, ubi vel maximè Domeſticis, Paſcuatio in Pratis, uſque ad Feſtum Sancti Georgii Militis, & Martyris admittitur, Extraneis tamen per hoc, nullatenus licita eſſet. In pleriſque tamen locis, ex vetuſta conſvetudine, Incolæ circumadjacentibus ſuis

bus ſuis vicinis, pro & contra certis temporibus, vel maximè ante idem feſtum Sancti Georgii, prohibitam à ſuis pratis, & Paſcuis &c. denunciare aſſolerent, quam iidem vicini, & commetanei, ut præmiſſum, pro & contrà, obſervare ſolerent, & deberent.

## QUÆSTIO XVIII.

*An Viri, aut Mulieres, ſub titulo graminis, in Segetibus colligendi, Damna inferentes, comprehendi, & abduci, vel talium res auferri poſſint?*

TAles Perſonæ, in Segetibus Damnum inferentes, & quandoque etiam Segetes evellentes, præſertim poſt prohibitam, ne Segetes, ſub prætextu graminis conculcent, deprehensæ, aliquibus rebus, penes eas habitis privantur, quas à Cuſtodibus redimere ſolerent.

## QUÆSTIO XIX.

*An Setigeri, ſeu ſues, in quibuſcunque damnis reperti abigantur, vel etiam in toto, ſeu in parte mactari poſſint?*

CIrca Setigerorum Abactionem, aliquantisper diversa ratio, quàm aliorum Pecorum eſſet, circa quæ, in nonnullis Comitatibus etiam diversa ſtatuta comperirentur,

 & qui-

& quidem in Comitatibus, quorum Territoria anguſtiora eſſent, ità, ut niſi Horti, & Segetes cingantur, ut aliàs cuſtodiantur, Setigeri autem ex more loci, ad paſcua, dietim, in cuſtodiam Paſtoris aſſignentur, vicinis de facili damnum inferant; Hinc paſſim ex edicto obſervatur, ut Setigeri in Damno reperti, iteratis, & ad ſummum ternis vicibus expellantur, vel etiam ad hoſpitem depellantur, illeve, cujus eſſent ſetigeri, ſeu familia ejus, mediô cujuſcunque, ſive domeſtici, ſive pagenſis hominis, ad cuſtodiendos Setigeros ſuos, ac vel includendos, vel cum reliquis vicinis, in præſentiam Paſtoris depellendos, admoneretur; ſi autem nec his curatis, per incuriam ſive hoſpitis, ſive familiæ ſuæ, Damna præcaveri nequirent, ſi abactio commodè fieri poſſet, abigerentur, aliàs ſiquidem talium Abactio difficilior eveniret, ex iisdem, unus, aut alter mactari aſſoleret; ſunt etenim ita aſtutæ, nonnullæ rurales œconomæ, ut plerumque abnegent, aliis Damna inferentes Setigeros, ſuos eſſe, ſed primò, dum mactantur, tandem tales, cum maledictione, ſuos eſſe recognoſcunt, & tum primò exiviſſe aſſerunt; cujus prætextûs vitandi intuitu, Damnum perpeſſus, potiùs univerſos, & ſingulos, mediô Judicis, aut Jurati, vel etiam alicujus alterius, ſive etiam proprii hominis,

nis, ad præcavenda Damna, cum ſetigeris inferri ſolita, commoneri faciat, aliàs Damnum in ſetigeris inferendum ſibi imputet. Diverſa item ratio eſſet, in amplioribus, & latè patentioribus Territoriis, & prædiis, ubi glandinatio pro Setigeris ſupereſſet, ibi etenim, ſive, ex ſtatutis Comitatuum, ſive ex ratione Jurium ſuorum conſervationis, abactio conſveta obſervatur; quin imò, quandoque, per quendam abuſum, aliquot fruſta, ſeu jam abacta, ſeu in actu abactionis, locoque delicti, in primo fervore, etiam mactari aſſolerent; ſed quia ejusmodi mactatio quorumcunque Pecorum, ſeu repreſſalia, ſeu ſumptuoſos Proceſſus procurarent, talia potiùs vitanda, quàm ſequenda eſſe cenſerentur.

# QUÆSTIO XX.

*In anguſtioribus Territoriis, ubi Horti, Pomaria, in vicinitate aliorum, aut etiam extra vicinitatem adjacentia, ſive, per eum, cujus eſſet Hortus, ſive in parte per Vicinum, cingi deberent, & ſolerent, ſi in talem Hortum, Setigeri intrent, & mactentur, eo in Caſu in quem culpa redundaret?*

CIrca hujusmodi cincturas quoque diversæ conſiderationes occurrunt, illæ etenim vel ſunt circa ſegetes, & tales, per bonos

œconomos, vitandi Damni Cauſâ, ex induſtria adhibentur; vel verò in contiguitate aliorum, præſertim circa Horrea, & Hortos perficiuntur, ubi aliis vicinis junguntur, ita, ut unum Latus Horti, in toto, vel in parte, ipſe Hoſpes, aliud autem itidem, alter vicinus cingere debeat, in hisque paſſim Locorum conſvetudo invaluiſſet, quamquàm, ſi finitimi hoſpites conſiderentur, res non careret difficultate, ſi etenim finitimus, horti ſui Latus, à parte ſuperiori cingat, & alter vicinus, aliud Latus cingere debeat, eò in Caſu, alter finitimus, ab inferiori parte conſtitutus, utrumque latus ſui horti cingere deberet, quæ tamen difficultas, in non nullis Locis eô modô tolleretur, quòd hi finitimi, in ſuis fundis, aliquod additamentum, ſeu dilatationem, habere aſſolerent; quibus taliter declaratis, ubi hujusmodi Cinctura Vicinis incumberet, illi, in non nullis diſtrictibus, ſive ex Comitatûs ſtatutis, ſive ex Loci diſpoſitione, ad obſtruendam talem aperturam, admonentur, ac, ſi ſtudiô negligant, & quidpiam ipſimet, vel etiam alii, propter talem incuriam paterentur, ſi nimirum præmiſſis obſervatis, hoſpitis præcluſionem ex obligatione intermittentis ſetigeri mactarentur, Damnum ſibi imputaret, aliis autem Damnum illatum, ſi nimirum, illi,

adhibitâ,

adhibitâ, circa ſuos ſetigeros, curâ, illud ſibi non procurâſſent, ille hoſpes, qui aperturam obſtruere debuiſſet, compenſare obligaretur, interim, pro hujusmodi incõvenientiis vitandis, & bona vicinitate obſervanda, præſtaret, ut ſingulus pro ejus poſſibilitate, per propriam cincturam eorum, quæ cingenda ſunt, ſua conſervaret, & cuſtodiret, ac in quantum fieri poſſet, à mactandis Setigeris, per miſeros Incolas difficulter procuratis, & conſervatis, abſtineret, occaſionemque contentionum vitaret.

# QUÆSTIO XXI.

*Quid de Anſeribus, Anatibus, & aliis volatilibus damna inferentibus, ſentiendum?*

FErè par ratio videtur Altilium, ſeu Volatilium, prout in anguſtioribus Territoriis Setigerorum eſſe, ſuper quibus, pariter paſſim, Comitatuum ſtatuta, paſſim etiam Locorum obſervationes ſuper eſſent, ita, ùt, poſt iteratas hujusmodi altilium pulſiones, & erga eos, quorum eſſent admonitiones, ea æquè mactari valeant, ſi etenim quiſcunque altilia, & volatilia intertenere cupit, pro eorum cura, conſervatione, tales ſervientes, & cuſtodes interteneat, ne per incuriam aliis damna inferri poſſint.

## QUÆSTIO XXII.

*Si quæ Perſonæ ex Sepimentis, & Cincturis, virgulta, & alia Ligna eximunt, Cincturas deſtruunt, & Damnum procurant, an talium res auferri poſſint?*

QUacunque ratione damnum inferatur, Cuſtodes Territoriorum, & ille, ad quos Cincturæ ſpectant, præſertim petulantes Juniores, ſive moderatè caſtigare, ſive ab iisdem aliquod exiguum Pignus accipere ſolent, adultiorum autem alia eſſet ratio, à quibus vel Pignus accipitur, vel coram Magiſtratu Loci incuſantur. Interim in quocunque Caſu, præſtat à verberibus abſtinere, priusquàm quiscunque, propter diverſas Circumſtantias, Lites eô modô ſibi procurare debeat.

## QUÆSTIO XXIII.

*Quid de illis, qui in Vineis, ſub tempus prohibitum, quô nimirum Fructus jam ſupereſſet, deprehenduntur, Sentiendum?*

VIneas, & Hortos invadentium multò major, eáque agravans ratio eſſet, ita, ùt in levioribus Caſibus, ab iisdem Pignus accipiatur; in gravioribus autem, & præſertim botris matureſcentibus, in Vineis deprehenſi, ac ùt præſupponitur, Damna inferentes, paſſim, ſi profugiant, etiam ſclopetorum ictus

ictus experiantur, quod tamen ad Necem tendens medium, approbari non poſſet, niſi fortè talis tanquam fur, & latro, tantis ſumptibus procuratum fructum, præſertim nocturno tempore, aggreſſus, intelligatur; Cæterum in iis, & aliis Caſibus, ad Magiſtratum Domeſticum, aut eundem, cujus Judicio ſubſunt, delati graviùs puniuntur.

# QUÆSTIO XXIV.

*Si quis alienum Hortum intret, & inde fructus, vel alias res auferat, an talis caſtigari, vel ab eo res auferri poſſint?*

INvaſio Horti, vel fit, cùm, vel ſinè Pecoribus: vel perfractâ Cincturâ, vel verò transgreſſione furtiva ſepium; ſi perfractâ Cincturâ, imò qualitercunque in Hortum Pecora impellantur, actus violentus præſupponi debet, quin imò etiam ſola invaſio horti, & exinde fructuum ablatio, violentiam ſecum ferre videretur; ſed quia plerumque, præſertim per juniores, fructus auferuntur, tales, ſi etiam modicum caſtigentur; ſive, ut aliquatenùs fures, rei alienæ contrectatores, ſive, ut alienæ rei aggreſſores, per eum, cujus eſt hortus, in forma defensæ tangantur, damnificatus per hoc haud culpandus eſſe cenſeretur; quin imò ſi quis etiam ex horto excedat, & inde exiviſſe viſus eſſet, ac in conti-

continenti, aliquantô ſpatiô, per promiſcuum, vel commune Terrenum, quaſi ad unum jactum perſequeretur, ut pignus ab eo haberi poſſit, à jure, & juſtitia, ſua tueri admittente, non videretur eſſe inconveniens; ad infinitum tamen, præſertim præter Campum, vel publicam Viam, ubi alienum fundum ſubintraret, ulterior perſecutio vix poſſet ſubſiſtere, cùm de facili, per alium poſſeſſorem, de invaſione ſui fundi, argui, aut violentus ejus aggreſſor, dici valeret; præſtaret tamen, ſi in continenti, talis deprehendatur, prius quàm ex verberibus aliqua inconvenientia eveniret, ſi quodpiam Pignus, ab ejusmodi exceſſuoso acciperetur, reſpectu cujus perſecutionis quadantenùs ex *Anni* 1729 *Articulo* 22. *de venatione ſonante legalis* paritas aſſummi poſſe videretur.

## QUÆSTIO XXV.

*Si ille, qui per invaſionem in præmiſſis denotaturum rerum alienarum, ut eſſent Horti, & alia, non admittat Pignoris ablationem, an poſſit per manus percuti, vel aliô modô caſtigari, uſque dum dimittat Pignus auferendum?*

DAmnum perpeſſus, aut ille, cui tale damnum vindicare incumbit, uti ſunt Cuſtodes Territoriorum, ſi tale Pignus ordinarium, absque quali, Damnum inferens, & exceſ-

& exceſſuoſus, interimaliter eſſe poteſt, auferatur, ſi etiam in illo fervore moderatè, fine duntaxàt mittendi Pignoris, tangatur exceſſuoſus, non videretur eſſe exceſſus, ut ex pignore, Teſtimoniô habitô, de Damno compenſatio prætendi poſſit, ſed, ſi ita tangatur, præter, & ultra intentionem accipiendi Pignoris, ut percuſſionem notabilitèr ſentire debeat, tali in Caſu, & percuſſio, & Pignoris ablatio, ſubſiſtere non poſſent; quanquàm etiam in his Caſibus vitanda eſſet percuſſio, ne exinde, in minimo exceſſu, actus violentus enaſcatur, utcúnque ab arbitrio, & inclinatione Judicis dependens.

## QUÆSTIO XXVI.

***Si vicinus extra functionem Cuſtodis conſtitutus, quoſcunque Damna aliis inferentes deprehendat, an eosdem ita tractare poſſit, prout in Damno proprio deprehenſos, vel per Cuſtodes compertos, ipſi Hoſpites, ſeu cuſtodes tractare ſolerent?***

QUandoquidem rem propriam, ſeu ipſe rei poſſeſſor, ſeu ad id conſtitutus Cuſtos, cuſtodire, & conſervare, ac contra violentos tueri, & defendere obligaretur, hinc alii, quorum Res, nec, ut propria, nec, ut ex functione ageretur, in auferendis Pignoribus, & in renitentia violenter etiam ob-

tinendis, aut illis, qui Damna inferunt, caſtigandis, facultas haud ſupereſſe videretur: verùm ex Jure Vicinitatis, Pecora ex Damnis expelli, aut ipſi Cuſtodes, ſeu Paſtores Pecorum, etiam terriculamentis adhibitis, ad vitandum Damnum commoneri poſſent.

## QUÆSTIO XXVII.

*Quandoquidem Anni 1729. Articulus 22. de venatione prohibita ſonans, ferarum multiplicandarum gratiâ conditus eſſet: Licetne Incolis locorum, in Sylvis pro ferarum multiplicatione prohibitis, pecora paſcere, aut Ligna decutere?*

Licet quidem in aliis Regnis, & Provinciis, venationem prohibitam obſervantibus à talium, ſub prohibita exiſtentium Locorum Paſcuis, Incolæ prohibeantur, ne earundem fœtificationem impediant, aut feras diſpergant. Verùm quia in Regno Hungariæ, Incolæ Locorum, pro ſua ſubſiſtentia, paſcua libera haberent, nec ab iis per eundem Articulum excluderentur, unde ſi prohiberentur, multorum ruina, & Pagorum deſolatio de facili eveniret, imò ex ratione boni publici, & Dominorum Terreſtrium emolumenti, contra immemorabilem Uſum, & eorum inevitabilem Neceſſitatem, nec eosdem excludere conveniret, niſi fortè pro ſua neceſſitate, absque notabili Incola-

rum

rum defectu, & ruina, Dominus Terreſtris, aliquam Paſcuorum partem conſervare vellet, de reliquo, libera pro Incolis Paſcuatio: in talibus quoque Locis, quæ pro ferarum multiplicatione prohibentur, admittenda cenſeretur, ita tamen ne contra præſcriptum Articuli, in feris, earum fœtificatione, aut diſſipatione, multò magìs interemptione, aliquod Damnum inferatur.

## QUÆSTIO XXVIII.

*An in Venatione, & Aucupio, contra tenorem Anni 1729. Articuli 22. procedentium, ſeu excedentium, & inflagranti deprehenſorum res auferri poſſint, & manibus Judiciariis, reſignari debeant, canes verò venatici mactari valeant.*

QUamvis idem Articulus, ex Excedentibus tres marcas deſumendas, & damnum refundendum dictet, & præſcribat; verùm tamen quaſi promiſcuè obſervaretur, ut in Venatione, & Aucupio, exceſſivè procedentium, & deprehenſorum ſclopi accipiantur, Canes autem interimantur, eóque modô, pro Exceſſu ſatisfactio impendi videretur, quorum, cùm uſus ordinarius ſit, hujusmodi marcarum deſumptio eorum locum habere ſupponeretur, dum aliàs Exceſſuoſus, modô prævio non mulctatur; ſi autem etiam ad marcarum deſumptionem procedere-

cederetur, cùm in damnorum illatione, res penes damnum inferentes, quaſi in Teſtimonium Damni illati auferantur, hoc in Caſu quoque auferens, lege prohibita, ex Officio, ſub prohibita manutenere cupiens, non poſſet per talium rerum ablationem culpabilis reddi, verùm marcis deſumptis, res ablatæ reddendæ cenſerentur, & ſi in aliis caſibus res ablatæ præter Pecora, manibus Judiciariis non reſignantur, multò minùs tales reſignandæ eſſent; Canibus autem interemptis, etiam pro marcis ſatisfactum eſſe videretur. Interim tamen Venatores, ſeu Montium Cuſtodes, plerumque ſui Juris cùm ſint, Nobilitatem vexant, miſeram autem plebem, diverſis ſub titulis, nimiùm quantum mortificant, & affligunt, contrà quos, ſi Domini Terreſtres, ſeu requiſiti, ſeu ex officio non animadvertant, Magiſtratus Comitatenſis, injuriatorum, præſertim publica onera ſupportantium, reſpectivè Protector, & Conſervator, contrà tales, ad ſatisfactionem, per Dominos Terreſtres, impendendam, animadvertere poſſe, exiſtimaretur, aut, ſi illi officiales, ſeu famulitium ſint, pars læſa, etiam viâ Juris, injuriam ſuam vindicare valeret.

## QUÆSTIO XXIX.

*An Piſcaturam ubicunque in Territorio Domini exercentium res penes eosdem deprehenſæ auferri poſſint, & manibus Judiciariis reſignari debeant?*

SIquidem vigore donationalium, & collationalium Privilegialium, Fluvii, piſcinæ, piſcaturæ, tamquam Jura Regalia Dominorum privilegialiter iis conceſſa conſeruntur, ac *etiam vigore Partis 1. Tituli* 87. eo in Caſu, ſi Alveus aliò derivetur, proventus Piſcationis, pro eo cedit, in cujus Territorio, pro priori fluvius defluxum ſuum habuit. Verùm tamen, velut Sylvæ, Prata, Paſcua, & alia beneficia Territorialia, alia eſſent prohibita, alia libera, (quamquàm Fluvii, Rivuli, Piſcinæ, aquæ ſtagnantes, promiſcuè cenſerentur eſſe ſub prohibita,) pari ratione fluvios, & rivulos, præſtare ſub expreſſam prohibitam, ſeu inhibitionem (quorum Terminorum Juridicorum promiſcuus uſus eſſet) ſumere, ut contra illos, & tales in fluvios, & rivulos præjudicioſè involantes, ita, & extraneos, nihil Juris ad eos habentes, (quorum contra prohibitionem excedentium, multò magis extraneorum, potiſſimùm retia auferuntur) animadverti poſſet; & velut in aliis Caſibus, ita in præmiſſo Piſcationis Caſu, ſtantibus modernis Legibus, non videtur eſſe neceſſarium,

rium, ut ejusmodi res, manibus Judiciariis reſignentur, quamquàm de juſto, recto ordine, Legalique paritate, ac ad plurimas damnoſas inconvenientias vitandas, tales res quoque manibus Judiciariis, reſignandas eſſe, exiſtimarem.

# CAPUT II.

*Summarium.*

## De Sylvarum Decorticatione, & Succiſione.

## QUÆSTIO I.

*De Abactione Pecorum Jugalium, in decorticatione Sylvarum repertorum, an illa, & talia, cum omnibus rebus, & Perſonis, abigi, & abduci poſſint?*

EX *dictamine Partis 3. Tituli* 33. ubi Colonus furtim, vel manifeſtè, manu violentâ, Sylvam ſucciderit, aut decorticaverit, & ibidem comprehendi poterit, omnia bona ſecum habita amittit, & inſuper Homagium ſubit; unde in Teſtimonium hujusmodi Decorti-

corticationis, videtur etiam comprehenſio Coloni, cum Pecoribus, Curru, & rebus penes eum habitis admitti, & quamvis ejusmodi res penes Colonum habitæ, antehac ipsô factô amittendæ cenſebantur; jam autẽ *vigore Anni 1715. Articuli 94.* Vice Comes, ſuccifionis, & decorticationis Caſus dijudicat, cumvè eadem Lex, non de Perſona punienda, ſed de rebus penes eam habitis amittendis, ſonaret, quamvis Vocula comprehenſionis in præcitato Titulo ponatur, eſt ex rerum ablatione, ſatisfactione conſecutâ, non videtur aliquis regreſſus, ad perſonam ſupereſſe.

# QUÆSTIO II.

*An aliquis, extra Decorticationem, ex Sylva Ligna Sicca, aut aliàs focalia, auferens, incurrat Pecorum Abactionem, & rerum ablationem, ac amiſſionem?*

IN Sylvarum invaſione, Cauſa, & finis eſt rerum ablationis illatum Damnum; ſive illud ſit ex Decorticatione, per quam arbores exareſcunt, ſive arborum ſuccifione, ſeu etiam ſiccorum, collectione, quæ omnia deſolationem, Sylvæ ſecum ferunt; unde, vel ob invaſionem alienæ Rei, nulla excuſatio ſupereſſet, propter quam eorum Pecora abvagiari non deberent, non tamen amit-

amittenda; verum taxanda, cùm talia, vel in prohibititiis, vel in controverſis deprehenſa, vi Patriæ Legum amittenda cenſerentur.

# QUÆSTIO III.

*An quamcunque Sylvam decorticantes, ſeu ſuccidentes, abigi poſſint?*

Quamquàm ejuſmodi Decorticatio, ſeù ſuccifio Lignorum, *ſecundùm Textum præcitati Tituli* 38. principaliter ad Syllvas prohibititias intelligi videatur, & quidem, ubi Ligna debito tempore ſucciduntur, ingreſſusque eorſum Pecorum prohibetur, ibidem plerumque novellæ Arborum ſuccreſcere aſſolerent, decorticatio autem, & ex inde ſecuta, exareſcentia, radicitùs arborum ſublationem ſecum ferret, & quia Ruſtici etiam, in communibus, ſeu focalibus, & cæduis Sylvis, vel maximè extirpandarum Sylvarum fine, Decorticationes inſtituerent, ex eo jure merito, etiam in Sylvis, pro foco deſervientibus, ſi quis decorticationem, præſertim in uno contiguo inſtituat, abactioni non tamen Pecorum amiſſioni ſubiiciendus venit, cum ipſa Lex hanc amittendorum Pecorum mulctam, ad Sylvas prohibititias extendere videretur.

QUÆ-

# QUÆSTIO IV.

*Si decorticans, aut Ligna ſuccidens, caret eotum Jumentis, & Curru, talis qualit.r tractandus eſſet?*

IN tali Decorticatione reperti, ſiquidem ex Lege res penes ſe habitas amitterent, comprehenſio autem, & dificilis, & oneroſa, propter alimenta ſuppeditanda, & quandoque ejuſmodi comprehenſio periculoſa quoque foret; Unde ſecuris, vel ſuperior ejusdem veſtis ſi ob brumale tempus, periculum ſuccidenti non immineat, in Teſtimonium Actûs perpetrari auferi poſſent.

# QUÆSTIO V.

*An eadem ratio ſit ſucciſionis Arborum fructiferarum, ut ſunt Sylvæ glandiferæ, Pomaria, ſeu Arbores hortenſes, producentes fructus!*

QUantum ad decorticationem, ſeu ſucciſionem, ſubſequendamque Pecorum Abactionem, ſeu rerum Ablationem, quamvis prohibitorum eadem ratio ſit, verùm quoad Damni illationem, & ejus compenſationem, aliæ aggravantes conſiderationes intercederent, viâ Juris, vindicandæ. Unde ſi aliarum Sylvarum, multò magis fructiferarum quarumcunque Arborum Succiſiones, ad pœnam rigoroſiùs deſumendam, ratio habenda cenſeretur.

# QUÆSTIO VI.

*An extraneorum Sylvas, ſive prohibitas, ſive liberas, ſeu focales Succindentium, & præſertim controverſiam efficere intendentium, pecora ea ratione, & fine abigantur, prout Domeſticorum?*

QUantum ad extraneos, qualicunque ratione illi, in Sylvis prohibititiis Damnum inferant, eô ipsô Pecora eorum legali Abactioni ſubjacerent, verùm ſi vicini Incolæ, Lignatione deſtituti, vel ſuas conſervare volentes, abſque omni ſuſpicione, efficiendæ controverſiæ, alienas Sylvas intrant, & deprehendantur, tales paſſim per Cuſtodes Montium, non abiguntur; ſed taxantur, & niſi inſtantaneè eos contentent, Catenæ, ſecures, aut ex veſtitu aliquid, in Teſtimonium Exceſsûs ipſorum, usque dum talia redimant, accipiuntur; ſi nihilominùs vicini de controverſia procuranda eſſent ſuſpecti, tales omninò abigendi, aliàs Cuſtodes Sylvarum iis convenientes puniendi venirent.

# QUÆSTIO VII.

*An ligna ex Sylvis devehentes, & in loco delicti, haud deprehenſi, ſed in Campis, ſive ejusdem, ſive alterius Territorii, obvii, ſeu abigi, ſeu taxari poſſint?*

QUandoquidem Leges contra Perſonas, ligna

ligna in Sylvis ſuccidentes, aut decorticantes ſonarent, poſſibileque eſſet, ut per idem Territorium, ex alieno Territorio Ligna deveherent, abactio, aut Taxatio talismodi hominum, nullatenùs admiſſibilis foret, multò minùs, in alieno Territorio, procedentium Curruum Abactio admitteretur, poſſet quidem inferri, quòd ab aliis, Sylvarum Cuſtodi innotuiſſet, aut verò quoad Egreſſum ex iisdem Sylvis; idem, & non alter eſſet, ex eoque Cuſtos eundem obſervâſſet, & aggrederetur, ſed quia idem, non eſſet diſquiſitor, ſub Dubio exiſtentium & incognitorum actuum, nec à conſequenti aliquid eidem agendum incumberet, verùm animadverſionem haberet in eos, qui in Actu, & facto, inflagranti deprehenduntur, adeoque eos, qui extra talismodi Actum ſucciſionis, & Poſitivam Cuſtodum Notitiam, jam Ligna avehunt, Cuſtodes propter præſumptiones, aut quampiam ſuſpicionem, aggredi non poſſunt.

## QUÆSTIO VIII.

*Si in Sylvis, vel maximè prohibititiis, per earundem integram ſucciſionem Damnum irrecuperabile inferatur, an, & qualiter pro tali Damno, ille, cujus fuit Sylva, adæquatam ſatisfactionem habere poſſit?*

QUantum ad Sylvas, vel maximè prohibititias, illæ vel veniunt in controverſiam Territorialem, vel intra indiſputabile Territorium adjacent; ſi ſint in loco controverſo, & pacificus Annuus Uſus, contra partem adverſam, remonſtrari poteſt, *vigore Anni* 1729. *Articuli* 42. moderata Uſuatio admittitur, aliàs excedens judicatur, prout & intra Territorium, ſi prohibititia Sylva obſervabatur, & tandem in opprobrium Compoſſeſſorum per alium Compoſſeſſorem ruinatur, talis compoſſeſſor ad proportionatam Damni refuſionem obligaretur, imò, ſi quidem Limites ſuæ Compoſſeſſionis exceſſit, ſecundùm Leges de Violentiis ſonantes, etiam pœnam violentiæ incurrere deberet, ſed hæc adhuc ſub Quæſtione Juris hærent; ſi tamen compoſſeſſionem exceſſiſſet, mulctam duntaxat Loci, contra Invaſores dictatam ſubire teneretur; extranei autem, velut rei alienæ invaſores, præter Damni refuſionem, pænam quoque violentiæ incurrunt.

# QUÆSTIO IX.

*An Pecora ex controverſis Sylvis abacta amittantur?*

JAm alibi attactum eſt, ſecundùm toties Citatum Novellarem Articulum, Pecora, ſine efficiendæ controverſiæ, ad vicinum Territorium impulsa, amitti, imò aliàs etiam, ſi ab adverſo Annuus pacificus UſusSylvarum evinci non poſſet, in earum ſuccisione, aut decorticatione deprehenſi, tanquam alienam Sylvam invadentes, res penes ſe habitas amittunt, viâ Juris, *Anni* 1715. *Articuli* 94. adjudicandas.

# QUÆSTIO X.

*Si quidem vigore totiès citati Articuli 42. Anni 1729. duplex Caſus eſſet amittendorum Pecorum, nimirum Decorticationis, Sylvarum, & impulſionis Pecorum ad efficiendum locum controverſum, vel potiùs contra Inhibitionem impulſio eorum ad Territorium alienum; Quomodo reſciri poteſt, invadentem commetaneum, Territorium illud controverſum efficere voluiſſe?*

QUantum ad Sylvarum decorticationem, ſeu ſuccisionem, res eſt clara; verùm in facto Pecorum inpulſionis, ex, prætenſivè, in controverſiam ſumpto Loco, non videtur ſufficere Judiciaria inhibitio, in præcitato Articulo denotata, verùm etiam Pacificus, ad minùs Annuus uſus, præter, & ultrà in-

terponendam inhibitionem, remonſtrandus veniret, qualis uſus etiam in Locis prætenſivè controverſis ſuperfuiſſe, ex fundamento ejusdem Legis præſupponeretur; Prodit autem Intentionem efficiendæ Litis, ejusmodi Terreni aggreſſor, eô ipsô, dum contra inhibitionem, vicinum Territorium ingreditur, multò magìs, ſi dictis, vel factis, aut inquiſitionibus, idem Territorium, in prætenſionem ſumat, & illud quôquômodô diſputare intendat.

# QUÆSTIO XI.

*Quandoquidem Articulus 94. Anni 1715. Sylvam decorticantibus, vel ſuccidentibus, Judicem Vice Comitem conſtitueret; An ſaltem Jugalia judicanda, de reliquo talismodi Res, ex Caſu earum amittendarum, acceptæ per ſe amittantur, vel verò illæ quoque Authore Judice adjudicandæ venirent?*

Ex quo nemo Judex ſibi eſſet, & ſimiles Caſus amiſſionem rerum penes ſe habitarum ſecum ferentes, pro Judice, Vice Comitem denominatum haberent, de ſtricto juris Authore Judice, talismodi res, ad legitimandam Poſſeſſionem, & manutentionem conſequendæ venirent; nihilominùs vel propter vilitatem earum, & cùm nulla Lex, de ta-

de talibus reculis, ſeu Inſtrumentis, Judici reſignandis, vel in talem qualem Damni Compenſam, per auferentem retinendis ſupereſſet, multò minùs ſuper iisdem, reſtrictivè aliquod Judicium ferendum præſupponeretur; Plerumque igitur, niſi bona vicinitas, erga præſtandam aliquam Taxam, ſuperet difficultatem, incolæ Loci, Judiciô Domeſticô, ejusmodi negotium accomodant, talismodi Res penes auferentem remanere ſolerent. Si tamen indirecta, adeoque absque ſufficienti Cauſa, violenta ſit rerum ablatio, eotùm acquiſitio violentiæ locum habet.

# QUÆSTIO XII.

*Si quæ Perſonæ ex vicino Territorio, intraverint Sylvas, Prata, vel Paſcua, ſive Terreni controverſi, ſive in controveſiam ſumi valentis, & ibidem Ligna, vel Gramen accipiant, vel etiam qualitercunque uſum capiant, aut quôquô modô oberrent; an liceat tales Perſonas incaptivare, aut Res penes ipſas habitas auferre?*

SEcundùm contenta Legum, quacunque ratione, & modalitate uſus, ſeu Poſſeſſorium, uſu fructuatioque, ac Territorii vindicatio, aut manutentio (quæ etiam per Cuſtodes, vel Venatores, Jura, & Jurisdictionem Dominii manutenentes, conſervantur) comprobari, & prodire poſſet, hæc, & ſimilia,

ſimilia, ſive Juris, & cautionum, ſive facti viâ, arcenda, & qualiſcunque Territorii ſuſpecta invaſio, ejusque ſuſpecti ingreſſus cavendi ſunt, hinc, ſi obvia, aut furtiva eſſet, ſeu graminis ablatio, ſeu virgultorum pro foco collectio, videretur tamen, vel talis qualis usûs vendicatio intentari, proquo impediendo, reculæ penes tales Perſonas habitæ auferuntur, ſi nihilominùs intentaretur, in talis modi Loco, vel Lignorum decorticatio, & ſucciſio, vel virgultorum per Plauſtra auferendorum appromptatio, ſeu Cuſtodum, aut Venatorum prohibitionis prætensæ manutentio, ità, ut quandoque etiam, efficiendæ controverſiæ intuitu, per inſidias, Perſonis, in Locis commetaneis, repertis, incaptivatis, controverſiæ efficiantur. Si itaque tam incommodus vicinus adſit, omnimodè vis vi repellenda, & uſus manutenendus; ſi autem penes tales perſonas, quôquô modô, uſum Loci vendicantes, res habentur, & illæ in Pignus accipi poſſunt, accipiuntur; verùm ſi violenti aggreſſores, ſive pro inſidiis, ſive pro vi inferenda, ordinati, & jam Territorium alienum, pro controversia efficienda, ingreſſi eſſent, non inconvenienter etiam comprehendi poſſent: præſtat tamen ſimilia vitare, & aliàs uſum Terreni manutenere, vel Juris viâ procedere, priùſquàm, per incaptiva-

captivationem, ne fors ſumptuoſas Lites ſibi procurare deberet. Ablatæ autem in ſimilibus Locis res, ita extradentur, ut in quantum fieri poteſt, de ſuperſcriptô teſtimonium haberi poſſit. Et quamvis ipſæ res, etiam in Territorialibus, ablatæ, Teſtimonium impediti uſûs exhibeant, ſi illæ conſerventur; ſed, quia tales res, tractu temporis, ſeu pereunt, ſeu diſtrahuntur, in quantum poſſibile, ejuſmodi rerum ablatio, ac reſtitutio, ita inſtitueretur, adeoque uſus quôquô modô vendicatus, ita impediretur, ut deſuper Teſtimonium haberi, & procurari poſſit.

# CAPUT III.

*Summarium.*

De Pecorum abactione, ex Territoriis intra Comitatum, aut cum vicinis Comitatibus, vel etiam Regnis, & Provinciis controverſis, ſeu in controverſiam ſumptis.

# QUÆSTIO I.

*Quandoquidem vigore Anni* 1729. *Articuli* 42. *Pecora ex quibuſcunque Locis Controverſis, abigi poſſent, ſed in Territorialibus nulla unquam Controverſia ſuperfuit, verùm pro priori, nonnunquam ex Jure bonæ Vicinitatis, Pecora ad Vicinum Terrenum, divertentia, pro & contrà tolerabantur, tandem autem ex vendicato Jure, quô Controverſia effici poſſet, impelluntur, an hoc in Caſu quoque, ordinaria Abactio obſervanda?*

SI in aliis, vel maximè in Teritorialibus invigilantia neceſſaria eſſet, præſertim, ubi vicinia, de ingeſſione in aliena in ſuſpicionem veniret, & Diſtinctiones Metales notoriæ haud ſupereſſent, ita, ut vel Compaſcuatio vicina, pro & contrà, in ſimili, ab utrinque obſervetur; vel præcautio inhibitoria inſtituatur, vel etiam abactio non intermittatur, &, ne inexſpectata controverſia invaleſcat, ex *Dictamine Anni* 1729. *Articuli* 42. *Partis* 1. *Tituli* 68. uſum, & Poſſeſſionem manutenendo, omnimodè in id intendendum eſſet, ut per ſignorum erectionem, diſtinctio inſtituatur, præſtatque Uſum manutenere, ut contra-pars, quaſi in Petitorio, & extra uſum conſtituta, Litem moveat, quàm ut poſ-

ut poſſeſſor Realis, cum aliquo Jurium ſuorum præjudicio LitemTeritorialem moveret, ſed, ſi viâ brevium (annuum pacificum uſum *in Præcitato Articulo* 42. denotatum, comprobando) incommoditates amovere poſſet, id ipſum facere præſtaret; quia tamen ejusmodi Proceſſus violentiarum, in numeras Quæſtiones Juris paterentur, ſi tandem ipſius Terreni Poſſeſſor, quietem ſibi procurare velit, cum Præcautionibus ſufficientibus, purè pro Signorum erectione, actionem movere poſſet, imò, ſi Caſu in præmiſſo, Pars alia, de aliqua Parte, & non de tota circumferentia, Proceſſum moveret, pars altera quoque, pro integra Metarum Diſtinctione effectuanda, contra Actionem erigere valeret, eodem contextu terminandam, ac ex eo ordinaria Pecorum Abactio, in hoc Caſu quoque obſervanda; verùm ſi Injurioſa eſt, Jure vindicanda veniret.

# QUÆSTIO II.

*An homines etiam, penes Pecora, & Pecudes exiſtentes, ſive in Damnis, ſive Locis controverſis, ſive etiam non controverſis, ſed ad Controverſiam efficiendam, tunc primò ſumi cæptis, incaptivari, abduci, aut verberibus affici, resque eorum auferri poſſint?*

QUantum ad homines, ſi ſint renitentes, & per-

& pertinaciter ſe ſe Abactioni opponentes, jam ſuperiùs annotatum eſt, ex ratione defenſæ, talium Pecora, etiam per moderatos Ictus abigi poſſe, absque tamen inferenda nimia læſione ( niſi fors abigenti, ac in Periculo Vitæ conſtituto inculpata Tutela, *in Partis 3. Titulo 22. uberiùs denotata*, ſuffragaretur; aſt in eo Caſu quoque gradus inculpatæ Tutelæ per omnia obſervandi eſſent ) quin imò ſi ejusmodi Territorii Invaſores, importuni, & incommodi nimiùm quantum eſſent, ita, ut Abactio ipſorum culpâ impediretur, non inconvenienter, etiã cum Pecoribus abduci poſſent; Cæterùm non videtur eſſe ratio, ut homines, ſeu Paſtores Pecorum incaptiventur, & abducantur, quamvis in Lege vocula comprehenſionis exprimatur; ſed quia de Perſonæ mulcta, Lex non meminit, verùm Bona in facto Sylvarum Decorticationis, penes eos, & cum iisdem habita, *Partis 3. Titulus* 33. amittenda dictaret, non deprehenderetur ſufficiens ratio incaptivationis, quo fine Perſonæ incaptivandæ ſint, & quid cum iisdem agendum eſſet. Et prætereà ex hujusmodi incaptivationibus plures illegalitates, & inconvenientiæ, de facili evenirent. Si tamen Pecora paſcerentur, & ipſi Paſtores Pecora, ſeu diſpellerent, ſeu eorum Abactionem impedirent,

pedirent, in eoque ſe culpabiles redderent, quod ſi in Teſtimonium invaſionis alieni Terreni, in vimque amittendorum Pecorum, ejusmodi Pecora abigi nequirent, eo in Caſu, à talium Pecorum cuſtodibus, res penes eos habitæ auferendæ eſſent; ſi autem eorundem Pecorum Cuſtodes, ſponte abacta Pecora ſequi, & eorundem Curam habere, voluerint, priùsquàm abigens aliquos, vel tridu-ales ſumptus per eos, quorum Pecora eſſent, refundendos, in talia Pecora, & eorum Curam impendere deberet: Paſtores Pecora ſequentes, à talium Pecorum cura, impediri, & removeri non poſſent, niſi fortè aſtutè, eum prætextum ſumerent, ut datâ occaſione, Pecora recipere poſſint, eo enim in caſu, ſimplicitèr removendi eſſent.

# QUÆSTIO III.

*An ex occaſione, ſeu impulſionis, ſeu exinde Abactionis Pecorum, in Locis controverſis, liceat ſub Prætextu pro, & contrà Terreni illius defendendi, ſemet ad invicem verberibus afficere, aut etiam interimere, & qualis pœna homicidarum?*

QUamvis *tenore Partis* 3. *Tituli* 22. defenſâ Perſonæ, & Bonorum, cum moderamine inculpatæ tutelæ, admittatur, *vigore*

*autem*

*autem Tituli 23. Partis ejusdem* ſi quis, vel minas in certis Caſibus faciat, aliquatenùs Defenſa licitatur; vindicta nihilominùs, *ſenſu Partis 3. Tituli 21.* cavetur, ſub cujus defenſæ fiducia, præſertim in Territoriis controverſis, graviſſimæ contentiones, verbera, imò & crudeliſſimæ eæque numeroſæ cædes evenire ſolerent, & niſi quiſpiam, præſertim in ejusmodi Territorialibus vim vi repellat, plerumque, de ejus Territorio, vel actum eſſet; vel, ſi potentiorem cometaneum habeat, utcunque Proceſſibus proſequendis impar redderetur, & hinc plurimæ contentiones eveniunt, imò quandoque potentior commetaneus, litem procurare, & Territorium controverſum efficere ſatagens, opportunè, importunè absque omni Juris Proceſſu, diverſis modis, & formis, uſum ſibi procurare intendit, unde alter cometaneus importuni vicini inſolentiam neceſſariò reprimere deberet, quali occaſione, Pecorum Abactione tentata, quandoque ex Profeſſo, Pecorum Defenſores, & Prætenſi Teritorialis usûs manutentores conſtituuntur, & ad acclamationes accurrunt; quia tamen effuſio ſangvinis, & interemptio Hominis, omnibus Legibus vetatur, ac ſi in aggreſſu Perſonæ, vitandi homicidii fine, præſtaret recedere, multò magis ipſo Terreno, & Loco ad Diſquiſitionem Judicis, remanente,

nente, contra ejusmodi Homicidas, jure merito Criminalis Proceſſus inſtituendus veniret, ita, ut, ſi ex probabili Territorii Defenſa, nullô modô aliàs manuteneri valente, aliquo caſu Homicidium contigiſſet, ipſe Homicida, homagium occiſi ſuportaret; ſi verò malitiosè, & animô deliberatô, ubi vitari homicidium potuiſſet, homo interemptus fuiſſet, eotum homicida pænam ordinariam capitis ſubire deberet.

## QUÆSTIO IV.

*Si in metalibus homicidium contingat, & Partes collitigantes vindictam ejus intermitant, an Magiſtratus Comitatenſis, ex officio, ejusmodi homicidium vindicare poſſit?*

SIquidem Actus Criminalis, Delictum in læſum, & in Publicum, ſeu Magiſtratum, ſecum ferret, *vel ex ratione Tituli* 15. *Partis* 1. *Uladislai Decreti* 1. *Articuli* 82. *Anni* 1563. *Articuli* 38. & 63. *Anni* 1587. *Articuli* 43. & *aliarum Legum* læſa parte, vel debiliori, vel quocunque modô perſecutionem homicidii omittente, Magiſtratus, *tenore etiam Anni* 1687. *Articuli* 14. in quoſcunque malefactores, ac etiam in homicidas, ex authoritate Magiſtratuali, pro publicarum injuriarum publica vindicta deſumenda, animadvertere deberet.

QUÆ-

## QUÆSTIO V.

*Si quis Reale metale Lignum ſucciderit, aut metales Lapides, & Cumulos disjecerit, ruinaverit, vel abolendos quôquômodô procuraverit, an Capi poſſit?*

QUamvis de ſimilibus caſibus, nulla expreſſa Lex, in Jure Patrio contineatur, ſed, quia talis, non minùs, quàm aggreſſor, & Prædo, rem alienam, Litibus, Jurgiis exponere, imò hac ratione etiam cœdes procurare moliretur, & intentaret, ac, ſi etiam repellatur, res tamen turbata, & in tantum vulnerata eſſet, eô ipsô, ſi etiam privativè, ipſe cumulus Territorialis reparetur, jam ampliùs indiſputabilis, & omni ſuſpicione carens vix cenſeretur; quare, hoc in Caſu, ſi absque Periculo verberum, & vel maximè cœdis, fieri poſſet, tales jure merito, in evidentius Teſtimonii argumentum comprehendi, & ab inde abduci poſſe viderentur; præſtaret tamen à talibus, in Rei Teſtimonium, res penes eos habitas, auferre, quàm per incaptivationem, Lege haud licitam, ne fors ſive præſentaneas contentiones, ſive etiam graviorum Litium pericula experiri. Qui Captus, ut in Sylvarum ſuccisione, & decorticatione, Judicio Legalis

Legalis Judicis intrà tempus in ordinariis Cauſis Terminorum præfigi ſolitorum, ſubmittendus cenſeretur.

# QUÆSTIO VI.

*Si Caſus contingat, ut tales, qui in Territoriali Limitaneo loco, ſive Litigioſo, ſive in Litem ſumendo, ſuâ, vel hominum ſuorum præſentiâ ibidem iteratâ, quôquômodô uſum Loci vendicare, & firmare intentarent, ipſique in Perſona comprehenderentur, an, & quamdiu illi, in Areſto detineri poſſent?*

QUamvis comprehenſio Perſonarum in Litigioſis territoriis deprehenſarum, ut præmiſſum, Lege non videretur admitti, multò minùs tempus dimiſſionis definiretur; ſed quia per formam defenſæ, ſi aliæ Res, pro Teſtimonio, auferendæ abſint, aut ſi adſint, & auferri non poſſint, uniùs, aut ob alterius, alienæ rei aggreſſionem, quaſi ex recepto Uſu, incaptivatio paſſim obſervatur, *quæ Perſonæ ex aliqua paritate Anni* 1729. *Articuli* 42 *Quindenam marcalem denotationis, vel etiam Anni* 1609. *Articuli* 70. *Anni* 1613. *Articuli* 23. & *Anni* 1681. *Articuli* 32. *de Terminorum præfixionibus ſonantibus*, intra ejuſmodi Quindenæ tempus, cum ſcitu Comitatenſium Judicum, erga Cautionem ſiſtendi eas in Judicio, vel verò in præſentia Judicum Comitatenſium, cum

ejuſmodi declaratione, coram eodem Judice inſtituenda, dimiſſio obſervari poſſe videretur ita, ut à Judice Comitatensi deſuper Teſtimonium haberi poſſit, ac nisi motu propriô dimitteretur, tandem Judicialiter repeteretur, & ſi nec ad Judiciariam repetitionem, jure merito de violenta detentione, jure impetendus cenſeretur; Per hoc tamen ſi abſque ſufficienti cauſa, Perſona eſſet comprehensa, Via Juris, parti læsæ, ad vindicandam injuriam, haud præcluderetur; Interim, cùm in Territorialibus, ex Perſonarum incaptivatione, rerumque diverſarum ablatione, plurimæ inconvenientiæ evenirent, æquum, & juſtum eſſet, ut res quoque ablatæ, florenum unum adæquantes, intra triduum manibus Judicum, viliores autem, Judici Loci, reſignarentur, vel pro reſignatis haberentur, ſi nimirum etiam in Damni ſimplici illatione, intra triduum de compensa Damni adjuſtatio fieri non poſſet; expoſt autem Judex Loci, cum Jurato, Damni compenſationem, cum expenſarum refuſione, inter Partes adjuſtaret, & nec priùs res ablatæ reſtituerentur, quàm ubi Damnificatus effectivam ſatisfactionem, pro Damno, & expenſis obtineret; effluxâ autem Quindenâ, ac erga eos, à quibus res ſunt ablatæ, admonitione præmiſſa, nisi eæ redimerentur, ille,

ille, qui eas abſtulit, ad æquivalentiam Damni, ac, ſi eſſet indicta Mulcta, ejus quoque, nec non expenſarum pro ſatisfactione retineret, ac ſi ad æquivalentiam non adeſſent, pro ſatisfaciendo, vel ſi ſuperfluæ eſſent, de reſiduis recipiendis, mediò Judicis, partem adverſam, difficultatesque Partium Judex Comitatenſis terminaret, admoneret; cavendum tamen eſſet, ne, hoc ſub Titulo, Judices ita taxent partes, ut Taxatio, Damni refuſionem adæquet, vel etiam ſuperet. Quæ res ablatæ, ſi manibus Judicis non reſignarentur, non inconvenienter Regno tenus ſtatui poſſet, ut propter contemptum Determinationis, ſi fieret, in notabilioribus quatuor florenos adæquantibus, levis marcæ, ſeu floreni unius pœnam; in minoribus quartam ejus partem, in ſortem Birſagii incurreret, expenſasque refunderet.

# QUÆSTIO VII.

*Si autem quiſpiam, talem qualem Uſum prævie adhibendo, partem alieni Territorii in formalem controverſiam ſumere volens, erga legitimum territorii Dominum, in Lege denotatam inhibitionem peragi facit, tandem Pecora abigi curat, qualiter, ab hujusmodi inquieto vicino, Legitimus Dominus liberari poſſet?*

 Licèt

LIcèt quidem ſecundùm bonæ viciuitatis Jura, ad aliquot Paſſus, ſeu ad jactum manûs, in vicinia paſcua, paſſim non impediantur, ſi etiam aliqua ratione, pro & contra vicinorum Pecora ſubintrent, interim ex ſimilibus, ùt Plurimùm, ſenſim controverſiæ efficiuntur, pro quibus præcavendis, non incoveniens videretur, ut caveatur, ne alterius Domini Paſtores, & Opiliones, ſcienter Pecora impellant, & cùm eò intraverint, cum iisdem ibidem moram trahant, hi enim ſunt illi Teſtes, qui Territoria aliena abjurare ſolent; itaque vel maximè circa Territorialia, quæ per incuriam, & conniventiam Incolarum, ùt plurimùm, periculo controverſiarum exponuntur, quoad continuandum privatum uſum, ſolers cura adhibeatur, neceſſariumque eſſet, ut Judices Locorum, Singulis Annis, Dominis Tereſtribus, ſuper Territorialibus circumferentiis relationem faciant, ita, ut ubi vel ſcintillam controverſiarum adverterint, ea ſupprimi valeat; quæ vel maximè eô modô ſupprimitur, ſi uſus, & Poſſeſſio Locorum, in aliorum commetanealitate adjacentium, omnimodè continuatur, & per Poſſeſſorium manuteneatur, ab eorumque couſu commetanei arceantur.

QUÆ-

# QUÆSTIO VIII.

*An in Territorialibus abactionibus repreſſalia admittantur?*

LEgibus Regni ſuper abactionibus conditis ſuper extantibus, ejusmodi repreſſalia, de recto ordine, legaliter fieri nullo modo poſſent. Interim, præſertim in Territorialibus Vicinorum Comitatuum, utcunque repreſſalia obſervata fuerant, ita, ut quandoque Pecora penes abigentes Perierint, & quamvis tenore *Articuli* 42. *toties citati expreſsè* etiam ex controverſis Locis abacta Pecora, manibus Judiciariis, reſignanda præſcribentis, quadantenùs talismodi animalium perdendorum repreſſalia ſublata eſſe videntur; ſed, quia inter duos Comitatus exortæ controverſiæ Caſus, ejusmodi reſignatorum Pecorum ſine deſtitueretur, effectum quidem ea in Parte ſortiri poſſet, ut, iis, manibus Judiciariis reſignantis, per eum, cujus erant, eximantur; ſi tamen per talium impulſionem, commetaneo injuria infertur, ille Caſum revideri facere non poſſet, deberet enim eſſe Judex, poſt exemptionem, è manibus Judiciariis, Pecorum, qui dignoſceret legitimam, vel illegitimam, ſeu Pecorum eò impulſionem, ſeu exinde Abactionem, quam differentiam inter Comitatus,

 ſive

ſive vigentem, ſive exortam, alteruter Comitatenſium Judicium diſcernere non poſſet, de facili etenim ſingulus pro ſuo Comitatu, per Teſtium examina, & eorum erga Quæſtiones, per Partes ſuppeditari ſolitas diverſas faſſiones, uſus pro & contra, inter, & inter Comitatus decerni poſſet, cùm tamen velut intereſſati Judices, talem uſum dijudicandi neuter eorum Activitatem haberet, hinc talium terrenorum *vigore Anni* 1618. *Articuli* 71. *&* 1635. 19. *Judex Palatinus eſſet.* Caſus autem violentiæ Judice deſtitutus, *tenore Anni* 1715. *Articuli* 17. ad Regiam Majeſtatem ſpectare dignoſcitur. Unde ex præviis difficultatibus damnificati non inconvenienter, in ſimilibus Caſibus, & pari abactione, repreſſalia admittenda cenſerentur; ita tamen, ut exloco controverſo, aut in controverſiam ſumpto nullatenùs autem tali, qui in controverſia non fuit, aut etiam ex via publica vel alio Loco indiſputabili pro repreſſalibus Pecora abigerentur.

QUÆ-

# QUÆSTIO IX.

*Quia autem hocce Regnum, partim cum Regiæ Majeſtatis Ditionibus, partim cum aliis Regnis conterminum eſſet, ſi tales commetanei, in Regni Limites involant, Pecoraque Regnicolarum abigant, an repreſſalia admittenda?*

QUandoqidem longè diverſa ratio eſſet, cum vicinis Regnis, & Provinciis Differentiarum metalium, quam intra Regnum, aut Comitatum vigentium ſuper, quibus Limitum Regni metalibus differentiis terminandis, plurimæ Conſtitutiones Regni, à ſeculis, ferè in ſingulis Diætis conditæ extarent, ita, ut earum reviſione, in Annos prorogata, hinc inde innumeræ Pecorum Abactiones, Contentiones, imò & Cædes interveniant, conſequenter numeroſis pecoribus, ſeu ex forma defensæ, ſeu ex ratione repreſſalium, ab utrinque deperditis, in ſimilibus, vix aliud Remedium, usque dum Publicâ Authoritate conſopiantur, ſupereſſet, quàm ut ſingula Pars, uſum, & Poſſeſſionem, Terreni ſui, quo meliori modo fieri poteſt, manuteneret, quod ipſum in omnibus Territorialibus differentiis cum adhibendis oculatis Inquiſitionibus, Inhibitionibus, Proteſtationibusque reiterandis obſervandum maximè expediens fore cenſeretur.

# CAPUT IV.

*Summarium.*

## De abactorum Pecorum, aut aliarum rerum, ad manus Judiciarias inſtituenda aſſignatione.

## QUÆSTIO I.

*Quis modus, ad manus Judiciarias inſtituendæ Pecorum reſignationis obſervatur?*

S*Ecundùm Partis 3. Titulum 33. & Anni 1729. Articulum 42.* Pecora ad manus Judiciarias, taliter, intra triduum, à tempore Abactionis, computandum, reſignantur, ut vel ad ipſum Proceſſualem Judicem Nobilium, effectivè talismodi Pecora depellantur, vel verò, præſertim, ſi apud Judicem, pro ejusmodi Pecoribus conſervandis, commoditas haud ſupereſſet, vel eidem onerosa foret, eo in Caſu Abigens, per ſe, aut homines ſuos, vel etiam literatoriè, cum expreſſione numerica Pecorum, &, cujus ſpeciei illa ſint, connotatione, talismodi Pecora, pro reſignatis habet, ita tamen; ut à Judice, ſuper unius, ſeu alterius ordinis facta reſignatione, Teſtimoniales extrahat.

QUÆ-

# QUÆSTIO II.

*An Pecora, non modò ex damnis, verùm etiam ex controverſis, ſeu non controverſis Territoriis, abacta, manibus Judiciariis aſſignari debeant?*

ANtea quidem, circa Pecorum, ex controverſis Locis abactorum diſtractionem, plurimæ intervenerunt inconvenientiæ, & paſſim adhuc in præſens fierent, verùm; quia *Anni* 1729. *Articulus* 42. Pecora etiam ex Locis controverſis, aut in controverſiam ſumptis, abacta, manibus Judiciariis reſignanda præſcriberet, ideò ea in parte quoque Poſitivæ Legi ſtandum, & ſatisfaciendum eſſet.

# QUÆSTIO III.

*An ex occaſione Decorticationis Sylvarum, Abacta Pecora manibus Judiciariis reſignanda? vel ipsô factô amiſſa, pro abigente manent; uſque, dum* ſecundum Anni 1715. Articulum 94. *Caſus, per Vice-Comitem, revideatur?*

EX quo Lex, *ſæpè citatus Anni 1729. Articulus 41.* nullum prorſus abactionis Caſum exciperet, in quo abacta Pecora manibus Judiciariis reſignari non deberent; ac aliàs etiam per talismodi detentionem, abigens, eôque modô prætendens, ſe ſolo, ſibi Judex

eſſe non poteſt, ideò, & ex Poſitiva Lege, & ex juſto Juris ordine, Pecora ſive ex ſylvis, ſive ex Damnis abacta, ſive etiam putativè profuga, & oberrantia, manibus Judiciariis reſignanda eſſent, tandemque, *vigoræ præcitati Articuli* 94. ejusmodi abactorum pecorum Cauſam revideri faciat.

## QUÆSTIO IV.

***Si Pecora, ex Loco, inter duos Comitatus Controverso, vel etiam in Controveſiam ſumi cœpto abigantur; cui reſignanda eſſent?***

QUantum ad differentias, inter Comitatum, & Comitatum, talismodi differentiæ, vel ſunt inter Poſſeſſiones impopulatas, vel verò inter Prædia, ab utrinque, vel ex alterutra parte adjacentia, ita ut quandoque dubitetur, an differentia inter duos Comitatus emergens dici poſſit? Interim tamen, cùm à potiori notorium ſit, ſive Poſſeſſio, ſive prædium per Poſſeſſorem, in quo Comitatu exiſtere cenſeatur, abigens manibus Judicis ejusdem Comitatûs, ubi Territorium adjacere exiſtimat, reſignare tenetur, per idque Legi ſatisfacere videretur, ſi ſecundùm diſpoſitionem Legis, eadem, ultra triduum non detineat, ita, ut ad quem Comitatum Pecora abiguntur, ejusdem Comitatûs Judici Nobilium ea reſignet, vel pro reſignatis habeat:

beat: per hoc tamen, ſi Territorium notoriè indiſputabile ſit, & tum primò per abactionem in controverſiam traheretur, Abigens talismodi differentiam, inter duos Comitatûs prætextuans, rigorem Juris evitare poſſet, Quæſtio tamen, an re vera indiſputabile Terrenum unius Comitatûs ſit; reſpectu judicatus ejusdem Comitatûs, cujus indiſputabilitas aſſeritur, ſuas Conſiderationes pateretur; quandoquidem ejusdem Comitatûs, Judex, ex ratione Comitatus intereſſentiæ, ex Diſputabili & controverſo, indiſputabile Terrenum efficere non poſſet, imò, ſi indiſputabile eſſet, de facili, per indirectos Teſtes, diſputabile efficeretur; verùm, ſi Territorium indiſputabiliter in eodem Comitatu adjacet, eotum tolluntur prænotatæ difficultates.

## QUÆSTIO V.

*An homines, ſive ex occaſione ſucciſionis Sylvarum, ſive aliàs cujuscunque abvagiationis tempore, incaptivati, manibus Judiciariis reſignari debeant?*

QUamvis ſuper hujusmodi Caſu (ùt iteratò præmiſſum) nulla ſuperſit Lex, & paſſim erga reverſales, tales dimitterentur, interim ex æquitate, & paritate Legis, ſi Pecora manibus Judiciariis, intra triduum reſignantur, multò magis incaptivati, ſi non intra Quindenam

denam ad ſummum, pro ratione Dominorum Terreſtrium, quibus præjudicium infertur diſtantiæ, quibus ea ſcire incumbit, intra Legales Quindenas, eorſum reſignandi venirent, ut qui ad infinitum, pro lubitu Partis prætendentis, detinere non poſſent; cùm etenim in actibus violentiarum, nisi ſint Caſus Criminales, quiſcunque incaptivandus, poſitiva Lege, haud licitaretur; ſed nec aliquis ſibi Judex eſſe poteſt, pro majoribus tamen inconvenientiis, aut etiam Litibus cavendis, bona fide, recte que agere videretur, quiſcunque vel manibus Judiciariis, ſive Perſonas, ſive Res, intra prænotatas Quindenas reſignaret, expoſt erga cautionem dimittendas, vel verò cum declaratione cautionis, præſente, & atteſtante Judice Comitatenſi, iidem dimitterentur.

# QUÆSTIO VI.

***An Pecora, Currus, & alia Inſtrumenta, occaſione decorticationis, & ſucciſionis Sylvarum abacta, & ablata, manibus Judiciariis reſignanda? cùm talismodi res, in Sylva deprehenſæ ipsô factô pro amiſſis habeantur.***

LIcèt quidem de mobilibus (ùt eſſent Currus, & Inſtrumenta curullia) manibus Judiciariis reſignandis, nulla Lex ſupereſſet; verùm de abactis Pecoribus, manibus Judiciariis

ariis tradendis conſtitutiones univerſaliter ſonarent; undecunque proinde talia Pecora abigantur, illa ex præſcripto Legis, manibus Judiciariis conſignanda venirent; &, quia currus, & alia Inſtrumenta, abactorum jugalium acceſſoria eſſent, acceſſoriorum autem eadem videretur eſſe ratio, hinc talismodi res, bona videlicèt ibidem cum Colono habita, rationibus ex præviis non inconvenienter, manibus Judiciariis conſignanda cenſerentur; quod ipſum paſſim etiam obſervaretur; cùm etenim ejusmodi Bona quoque, quoad ſecuturam amiſſionem, & abjudicationem ejusdem ſortis, cum pecoribus efficiantur, eundemque Judicem, *ſecundùm Anni* 1715. *Articulum* 94. reciperent, vel ex eo cum pecoribus conſignanda eſſent, ut conſtet Judici ilud ſubſtratum, de quo Judicium ferre deberet, diſcernatque Judex, an re vera ex Damno abacta, & ablata ſint, vel abigi, & auferri potuerint; ac in caſu contrario in ea integritate reſtitui valeant.

QUÆ-

# QUÆSTIO VII.

*Præter ſucciſionem, & Decorticationem Sylvarum an res mobiles à Damna inferentibus, ùt eſſent catenæ, ſecures, Cothurni, Pilei, cinguli &c. ablatæ, manibus Judiciariis reſignandæ ſint?*

QUantum ad tales res viliores, quæ in teſtimonium damni illati, & futuram præcautionem, non inferendi damni auferuntur, illæ moderatè taxari ſolitæ, manibus Judiciariis haud reſignarentur, tum ex eò, quia eo reſignata, absque tali quali cautione, ſimpliciter exinde eximi non poſſent, ipſique Cuſtodes Sylvarum, & Camporum, eluſi, per totum animum deſponderent, ut, qui ex ejusmodi ſportulis ut cunque ſui contentationem haberent, Dominusque Terreſtris, aut communitas, ſi aliundè iisdem totalem ſolutionem ſupplere deberent, nimis oneroſum eſſet, cùm etiam, quia in veterata in Regno praxis eſſet, ut tales Res directè è manibus Cuſtodum auferentium, moderatâ Taxâ redimantur, in quibus exceſſus, ſive in exceſſiva Taxatione, ſive pertinaci talium rerum detentione, ſeu per Judices Loci, ſeu per Nobilium, corrigendi venirent, cùm rei exiguitas, ubi Jure merito tales res auferuntur,

tur, ſumptuoſum Proceſſum non mereretur, ſi autem indebitè ablatæ fuerint, nemini via Juris ordinaria præcluditur.

# QUÆSTIO VIII.

*An poſt triduum ad manus Judciarias reſignari poſſent Pecora, intra triduum non reſignata?*

QUandocunque manibus Judiciariis aſſignantur Pecora, Judex eadem acceptare, vel pro acceptatis habere tenetur, Partium etenim incumbentiæ erit, tempeſtivam, aut ſerotinam Pecorum reſignationem, ſuô locô, & tempore diſquirere, & diſputare.

# QUÆSTIO IX.

*An liceat ex abactis pecoribus, aliqua mactare, vendere, & quacunque ratione, in neceſſitates ſuas convertere?*

SIquidem in nullo Caſu, Pecora, abſque Judicis diſquiſitione amittuntur, cùm in ſuccisione Sylvarum quoque, Amiſſionem Pecorum ſecum ferente, *tenore Anni* 1715. *Articuli* 94. Vice Comes, pro illis Caſibus ordinatus haberetur, & aliàs nemo ſibi Judex eſſet, & prætereà in caſibus etiam notoriis, & evidentibus, difficultates, per Judicem ſuperandæ haud abeſſent, hinc, cum talibus Pecori-

Pecoribus, ſub violentiæ Pœna, authoritate propria, nemini diſpensare liceret.

## QUÆSTIO X.

*An Pecora abacta, non niſi Judici Nobilium Proceſſuali, vel verò ſive Judici Nobilium, ſive Vice Comiti, in proximitate habitis, reſignari poſſint?*

LEx Regni, *ſignanter citatus Titulus* 33. *Partis* 3. *ita & Articulus* 42. *Anni* 1729. jam promiſcuam, manibus Judicis Comitatenſis, in Proximitate exiſtentis, inſtituendam reſignationem, admittere videretur, dummodò vexa, & Damnificatio ac eô modô ſub ſecutura pecorum maceratio, abſit, cùm & alias, *per ejusdem Diætæ Anni* 1729. *Articulum* 38. Judices Nobilium, per totum Comitatum ejusdem authoritatis eſſent, adeoque ſi etiam in alio Proceſſu Judex Nobilium eſſet, Pecoraque eidem, in Proximitate abigentis, exiſtenti conſignarentur, per id, nulla illegalitas induceretur, quin potiùs compendium, imò conſervatio Pecorum obſervari poſſet, contingit etenim, ut in latè patentioribus Comitatibus, & longioribus diſtrictibus, ſeu Proceſſibus, Judices Nobilium vicini Proceſsûs, vel etiam Vice Comites in Proximitate, Proceſſuales verò Judices Nobilium longè diſſiti habeantur; incumbentiæ autem ejus eſt, cujus

jus Pecora abiguntur, abacta pecora, apud Judices Comitatenſes inveſtigare.

# QUÆSTIO XI.

***Si proceſſualis, vel Proximior Judex Nobilium reſignationis tempore, non adſit domi, an alteri, vel etiam Vice Comiti, reſignanda ſint pecora?***

ABigens, vel ejus homines, triduum ita obſervare deberent, ut reſignatio, vel Proceſſuali, vel proximiori Judici Comitatenſi, inſtitui poſſit, aliàs, ſi abigens, intuitu neglectæ, debito tempore, reſignationis, culpabilis comperiatur, poſſet quidem, de inexpectata Judicis abſentia, excuſari, interim tamen, de mora, ad ultimas tridui horas, protractæ reſignationis, ſi etiam marcas evitaret, expenſas tamen, & fatigia, parte altera eum impetente, ſibi procuraret.

# QUÆSTIO XII.

*Si pars abigens, aut ille, cujus pecora abiguntur, reſpectu Judicis, cui pecora aſſignanda eſſent, contra ipſius perſonam, quamcunque haberet difficultatem, vel verò ille, cujus ſunt pecora, abigentem, à reſignatione, ad ejus manum, aut Judicem ab illorum acceptatione, inhiberet; an reſignatio, ſeu à Judice exemptio, poſſit alterari; & per hoc an alterutra Pars, Judiciariam animadverſionem incurrat?*

SI quidem in ſimili Caſu, ipſe Judex, nullum Judicium ferret, verùm non niſi Teſtimonium perhiberet, vix Legalis difficultas eatenùs ſupereſſet, quæ talem reſignationem, multò magìs autem è manibus Judiciariis exemptionem, impedire poſſet, interim ex Parte abigentis, poſitivæ Legi ſatisfacere deſiderantis; nulla culpa ſupereſſet, dummodò abſit vexa, & maceratio pecorum, quamquàm intra Comitatum, tanta diſtantia Judicum Nobilium rara eſſet, ac cùm aliàs etiam pecora pro reſignatis haberi poſſent, talismodi reſignatio, cuicunque Judici, & quidem proceſſuali, etiam remotiùs diſſito (authoritate eorum jam per totum Comitatum, æquali exiſtente) inſtitui poſſet.

CAPUT

# CAPUT V.

*Summarium.*

## De Pecorum è manibus Judiciariis exemptione.

## QUÆSTIO I.

*Qualiter è manibus Judiciariis eximuntur Pecora?*

LEx Regni *in Anni* 1729. *Articulo* 42. *contenta* declarat, dandam eſſe Cautionem, quatenùs ejusmodi Pecora, ſive ſint præ manibus Judiciariis, ſive pro reſignatis habeantur, per illum, à quo abacta fuerant, ſuo tempore reſtituantur.

## QUÆSTIO II.

*An in cautionalibus, ſeu fidejuſſionalibus, apponendum ſit, ex quo Loco abacta Pecora fuerant, quæ ex manibus Judiciariis eximenda veniunt?*

EJusmodi præjudicioſæ Clauſulæ, haud dubiè per partem abigentem, Judici ſuppeditatæ infererentur, verùm, quia talismodi Pecorum extradatio, & cautionis, conformitate Legis, inſtituenda ſtyliſatio, non

parti abigenti, & pecora reſignanti, verùm Judici pecora ad manus Judiciarias recipienti incumbit, ita, ut abſque alterutrius Partis præjudicio, expediatur, cujuſmodi fidejuſſionalium eſſentialia requiſita, præcitato Articulo *noviſſimæ Diætæ* 42. denotatur.

# QUÆSTIO III.

*An in fidejuſſionalibus apponendum ſit, ubi, & coram quo Judice, pecora reſtatui debeant?*

EXpreſſæ Legi *Anni* 1729. *in Articulo* 42. *denotatæ* fidejuſſionales circumſcribenti ſtandum eſſet, per quas, neutri Partium Præjudicium inferri poſſet, hujusmodi etenim clauſulæ, & Expreſſiones, non aliud, quàm præjudicioſas diſceptationes, & contentiones ſecum ferent.

# QUÆSTIO IV.

*An Incolæ Loci, unde Pecora abiguntur, vel etiam ipſe, cujus ſunt Pecora, poſſint cautionem pro Pecoribus reſtatuendis præſtare?*

CLarus eſſet idem Articulus 42. *novellaris*, qui ejuſmodi Pecora, illis, ad quos ante invagiationem ſpectabant, erga Lege præſcriptam Cautionem, extradanda præſcriberet; Unde ſive ille, cujus ſunt Pecora, ſive vicini ejusdem, Legalem præſtent cautionem, ſufficere videretur,

QUÆ-

# QUÆSTIO V.

*Ex quo præſertim in territorialibus, perſonæ quoque incaptiventur, ſi ab ejusmodi incaptivato, ſive fidejuſſionales, ſive Reverſales, ſive aliæ Literæ Juri territoriali præjudicantes, accipiantur, vel potiùs extorqueantur, ac in iis ſpontè benevalè, præjudicioſa Territorialis recognitio inſeratur; an ejusmodi reverſales, juri Territoriali, aliquod præjudicium inferant?*

QUaleſcunque ſint illæ Obligatoriales, Reverſales, Fidejuſſionales, Recognitionales, ſi tamen in illas, quiſcunque metus, ac modô invitô, ſeu Terriculamentorum, ſeu ulterioris detentionis cadat, & coram ipſo Judicio Cauſæ, vel verò ipſius abactionis, aut etiam talismodi violentiæ prætensæ Judicibus remonſtretur, *Tenore Matthiæ Decreti 3-tij. Articuli 76. Anni 1536. Articuli 59. Anni 1552. Articuli 17. Anni 1687. Articuli 13. & Anni 1715. Articuli 53.* talismodi obligationes, Reverſales, Fidejuſſionales, Recognitionales, ipsô Jure, & factô, pro nullis cenſentur.

# QUÆSTIO VI.

*Si Pecora debito tempore, manibus Judiciariis non reſignantur, an modò prævió, erga Cautionem eximi poſſint? & nonne eo in Caſu, extra danda Cautio, eximenti præjudicium inferret?*

SIquidem Lex non limitat, ut in tempore, vel extra tempus, reſignata Pecora, è manibus Judiciariis eximantur, verùm ſimpliciter inſertum habetur, manibus Judiciariis conſignata Pecora, eximenda eſſe; ſed nec eſſet tempus inveſtigationis, an debito tempore, adeoque legitimè, vel illegitimè eorundem reſignatio facta fuerit; ac aliàs etiam, præſcindendo, à tempore, ſeu abactionis, ſeu reſignationis ejuſmodi Cautio extradaretur, hinc, quandocunque pecora reſignata exempta fuerint, eximens nullum præjudicium ſibi inferre poterit; cùm etenim plerumque miſerorum Incolarum Pecora abigerentur, ac ex hujuſmodi abactionibus, longiores Proceſſus evenire ſolerent, ac ſi miſeri Incolæ, ad eventum Litis præſtolari deberent, non abſque ruina, etiam jugalibus de facili deſtitui poſſent, cùm tamen quandoque etiam, ex leviſſima Cauſa, & ſinè culpa hoſpitis, talia abigerentur, ac ex eo, æquitati, & Juſtitiæ conſonum eſſet, ut taliſmodi Pecora reſignata,

reſignata, &, cum Damno hoſpitis, alibi exiſtentia, abſque procraſtinatione recipiantur.

## QUÆSTIO VII.

*Si Pecora pauciora manibus Judiciariis reſignantur, quàm abacta fuerant, aut verò in manibus Judiciariis deficiant, vel pereant; an manibus Judiciariis eximenda?*

EX Lege toties citata Noviſſimæ Diætæ *Articulo* 42. Rationes, in prioribus Quæſtionibus, de indirecta reſignatione, annotatæ recurrerent, ita, ut Pecora præ manibus Judiciariis habita, erga legalem cautionem eximantur, ſuper erit ſi quidem Partibus, coram ſuo Judice, tempus ejuſmodi reſignationis, qualitatem, & circumſtantias examinare, ac ea ad Legum conformitatem, cum refundendorum refuſione, in ſuum ordinem redigere.

## QUÆSTIO VIII.

*Si Pecora cum defectu manibus Judiciariis reſignantur, & reſignans ponit ſecuritatem deſiſtendis, vel in natura, vel in Pretio non reſignatis, an hujusmodi aſſecuratio ſufficiat?*

SI Pecora, per hactenùs obſervatum abuſum ſeu mactentur, ſeu realiter vendantur, factaque recollectione ſui, per Abigentem, vel vendentem, aut ea mactantem, pretium

taliſmodi, manibus Judiciariis Reſignaretur, ſi non etiam adæquatum, dum̃odò craſſa fraus, & vexa abſit, ut videlicet Colonus taliter, ſeu jugalibus, ſeu lacticiniis deſtitutus, aliquam proviſionem, ſibimet procurare poſſit, non videretur eſſe reſignatio impracticabilis, cùm & aliàs ſecudùm Articulum toties citatum, plenô numerô non reſignatorum Pecorum, damnum refundendum juberetur.

# QUÆSTIO IX.

***Si Pecora ad manus Judiciarias, pro reſignatis habita, ac per Abigentem conſervata, ſecundùm Judicis indultum, dimittenda ſunt; an pro ejuſmodi Pecoribus, Eximens mittere, vel illa abigens, ad eximentem depelli facere debeat?***

QUamprimùm Pecora manibus Judiciariis reſignantur, ille, cujus fuerunt Pecora, ampliùs cum Abigente, ad agendum nihil habet, ſed Judicem Comitatenſem, de illis dimittendis requirit; quali dimiſſione obtenta, quamquàm evidens eſſe videatur, ut Eximens, qualiacunque gravamina, circa talismodi abactionem, aut detentionem perſentiens, pro abactis pecoribus mittere, eaque exinde repelli facere, & tandem ſuô Locô, & tempore, de abactionis, detentionis, aut reſignationis gravaminibus agere debeat, ſi tamen

tamen ille, cujus ſunt pecora, qualemcunque conſiderationem, juribus ejus vel in eo præjudicantem, quòd pro pecoribus eò mittere deberet, habeat, Judex talia Pecora ad ſe depelli faciat, ut exinde, & non è manibus abigentis eximi poſſint, ne quô pactô Abigens exinde quoque, jus quodpiam ſibi procurare videatur, quòd ex ejusdem manibus, Pars adverſa pecora eximere debuerit.

# QUÆSTIO X.

*SI Pecora conditionatè reſignentur, ut, ſi videlicèt, de illis reſtatuendis, ultra Lege præſcriptam Cautionem alia ſecuritas detur, nec aliàs dimittantur, an talis reſignatio, pro ſufficienti habenda? &, an taliſmodi Pecora, erga petitionem illius, cujus erant, dimitti poſſint?*

SIquidem in ſubſtantia Rei, Pecora vel reſignantur, vel pro reſignatis habentur, Judex, ſive adjiciatur, ſive non adjiciatur aliqua conditio, illa acceptare tenetur, & *ſecundùm Articulum 42. modalitate ibidem præſcripta*, eadem dimittere tenetur, & ſi Judex Nobilium extradatione legali prohiberetur, ſi ea præ manibus habet, authoritate Judiciaria uti poteſt; verũ, ſi abigens impediret, aut pro reſignatis habita, reſtituere nollet, idem Abigens, Cenſuram Articuli præcitati 42. incurreret. Si nimirum facto, & impedimento Abigentis inter-

 cedente,

cedente, ſive è manibus Judicis eximi non poſſent, ſive pro reſignatis habita, non reſtituerentur, Actioque, pro eo, cujus fuerunt Pecora, contra Abigentem, & pecora detinentem ſupereſſet.

# QUÆSTIO XI.

*Si ex loco indiſputabili, & in nulla unquam controverſia exiſtente, Pecora abigantur, an non præjudicium eveniret, ſi illa, erga Cautionem in Articulo 42. Anni 1729. declaratam, eximerentur?*

LIcèt quidem, plerique ea in parte hærere videantur, exiſtimantes, per ejusmodi cautionem, Juribus ſuis præjudicium inferri, & eô ipsô controverſiam effici, quia tamen Lex eam modalitatem præſcriberet, ac ſi etiam pars adverſa talem locum in controverſiam ſumere intendat, per hoc tamen locus controverſus haud efficeretur, hinc ex ratione diſpoſitionis eatenùs Legis, præjudicium inferri non poteſt, verùm tamen, ne ex tali Actu re vera Controverſia efficiatur, ſi pars adverſa aſtutè velit controverſiam inducere, vel diſſimulatè dimiſſionem admittit, ut modò in futurum, de Abactione aliquod Teſtimonium haberi poſſit, vel verò etiam Inquiſitionem fieri curat. Unde neceſſarium, & præcautum eſſe videretur, ut ſimpliciter quoque

que dimittantur pecora, deſuper, vel à Comitatenſibus Officialibus, vel aliis honeſtis, & fide dignis hominibus, Teſtimonium haberi poſſit, vel, ſi inquirat, & perſiſtat in prætenſione, in recenti abſque procraſtinatione, de illata violentia, jure conveniendus eſſet, ita, ut, vel Judiciale, vel amicabilis compoſitionis Inſtrumentum, deſuper, quòd locus abactionis nullatenùs controverſus ſit, haberi poſſit.

## QUÆSTIO XII.

*Si abigens intra triduum, vel etiam poſt reſignationem, ad Judicis manus, certam Pecorum partem, & præſertim ea, quæ mulgibilia eſſent, ei, cujus ſunt, reſignare, reſidua verò retenta habere voluerit, an ille, cujus ſunt, talem partem pecorum recipere poſſit?*

Difficultari equidem poſſet, ejuſmodi per partes pecorum remiſſio, ſed quia propria, pro vitando majori Damno, ſive cum cautione, ſive abſque eadem, dum & quando recipere liceret, per hoc illata injuria nullatenùs tolleretur; ſi verò pro meliori præcautione, à Judice recognitio, de re geſta accipiatur, ne aliquod præjudicium ſibi illatum imputetur, via ſecuriori procedi poterit.

QUÆ-

# QUÆSTIO XIII.

*An ille cujus ſunt Pecora, de reſtituendis Pecoribus, per ſe, vel medio Judicis, cum, vel ſinè obligatione refundendi Damni, poſſit, aut debeat, apud partem abigentem, ſemet inſinuare?*

POſſet quidem ille, cujus Pecora abiguntur, præſertim ante reſignationem ad Judiciarias manus, ſemet ad rehabenda Pecora, apud Abigentem, cum oblatione videndi, æſtimandi, & compenſandi Damni, inſinuare, qualem oblationem, vel maximè incaſuali, aut minori Damno, Abigens acceptare tenetur, & ſi poſt reſignationem res agatur, etiam mediö Judicis Nobilium, ad id acceptandum ſtringi poteſt, pecoraque Judex Nobilium, ſecundùm Legis præſcriptum, dimittere tenetur, aliàs ſi vexationis Causâ abigens, Damni inſtituendam æſtimationem detrectaret, & pro aggravio illius, cujus abacta Pecora forent, Pecora detineret, ille, cujus Pecora abacta ſunt ex vi præcitatæ Legis, Damni æſtimationem inſtitui facere, & manibus Judiciariis aſſignare deberet, Damnum autem ex Detentione Pecorum procuratum, imò etiam marcas acquirere valeret: & quia jam ferè univeſaliter, in Damnificationibus, & violentiis, parti triumphanti, expenſæ refundendæ venirent, hac in parte quoque,

que, cùm & aliàs, quandoque vilitas ſubſtrati Damni ſubverſaretur, ad expenſas refundendas, ſuccumbens obligaretur; in caſibus nihilominùs violentiæ, & temerariæ Pecorum, ad procurandum Damnum, impulſionis, ſi abigens, etiam Damni refuſionem obtineat, & illam, cum cautione, de non receſſu à violentia, acceptet, eotum, etiam violentiæ pœnam proſequi poterit, & ſi hoc reſpectu Damni compenſam acceptare nolit, propterea culpabilis reddi nequit.

# QUÆSTIO XIV.

*An Judex, Pecora reſignata, eximere deſiderantem, taxare poſſit? & ſi ille in Pecoribus damnum inferat, aut fructum percipiat, quis eum judicabit?*

QUamvis, ex indultu Legis, & æquitatis, ſumptuum compenſationem, ſi eos fructus non adæquent, ipſe Judex, aut Abigens prætendere poſſet, taxare tamen, judici, vel ex eo, neutram partem liceret, quod, cùm Comitatus Salariſatus Officialis ſit, & ex præſcripto Legis, vi officii ad manus Judiciarias, alia Pecora recipiantur, non videretur eſſe ſufficiens ratio, ut in tali Caſu, eo nullum fatigium ſuſcipiente, vel maximè miſerorum Incolarum, aliqua taxatio fieri deberet, quæ præmiſſa, ea ex ratione declarantur, quòd poſſent

poſſent eſſe Caſus, ut ex aliquot denariorum damno, aut nullo prorſus interveniente Damno, pecoribus abactis, & manibus Judiciariis, in majus gravamen ejus, cujus ſunt pecora, reſignatis, ipſe Judex, ab eximente, aliàs etiam modô præviô damnificato, quaſi in ſimilibus, currentis Taxæ titulô, unum, aut alterum florenum deſumat, quali taxatione, miſeris gravatis, & propter aliquot denarios, cum vicinis, multò magìs, ubi jam etiam Judex intereſſatum ſe redderet, ad longiores ſumptuoſas lites condeſcendere non valentibus, contra jus, & æquum, per vicinos, de facili premi, & opprimi poſſent. Et quamvis, de Judice in præmiſſis legalis intereſſentia, ſeu partialitas, ad injuriam, ei, cujus fuerant Pecora, inferendam, ſupponi non poſſet, ſi quid tamen tale eveniret, parti læsæ, recurſus ad Comitatum, vel ejus Magiſtratum, via pateret, indubium remedium obtenturæ.

QUÆ-

# QUÆSTIO XV.

*Siquidem invagiatorum Pecorum, è manibus Judiciariis ſubſecutura exemptio, bifariàm conſideratur, in Caſum nimirùm ſimplicis ex damnis invagiationis, & Caſum, ex loco in controverſiam ſumpto factæ abactionis; Partibus, hac in parte, intra ſe altercantibus, aut verò ſemet eatenùs pro, & contra declarantibus, Judex qualiter taliſmodi Pecora extradare debebit?*

LEgis contextu hac in parte, expreſſato, in conſiderationem ſumpto, videtur quidem in Judicis prudentia, dexteritate, & legis peritia conſiſtere, ut ſtatim reſignationis tempore experiatur, an ſimplex abactio ſit, ex damnis, vel verò ex actu violento, aut ex Loco in controverſiam ſumpto, ita, ut, ſi ex damno, erga realem cautionem, ſeu pignus, uſque dum æſtimatio Damni ſequatur, pecora dimittantur, ſi autem ex loco violentæ impulſionis, aut controverſo, vel in controverſiam ſumpto, abactio facta fuerit, ut literatoria cautio haberi poſſit, verùm, quia plerumque ex publica notitia, etiam per rudes homines, pecora reſignantur, qualemcunque cautionem, ille, ad quem pecora ſpectant, dare vellet, dummodò Legalis ſit, illam Judex acceptet; partium expoſt erit,

erit, de ſimplici Damno, violentia, aut controverſia diſputare.

## QUÆSTIO XVI.

*Quamvis toties citata Lex in ſimplici, ex Damnis, quaſi Caſu, illatis, abactione, realem Cautionẽ, ſeu pignus dandum præſcribat, ſed ſi ille, cujus ſunt pecora, realem cautionem, ſeu pignus dare nollet, an pecora dimitti poſſint?*

SIquidem Lex, *Anni* 1729. *Articuli* 42. in ſimplici Caſu, illati Damni, realem cautionem, ſeu Pignus, pro ſufficienti agnoſceret, ipséque abigens, locum abactionis, pro controverſo non prætenderet, Judex, ſeu erga realem cautionem, aut pignus, ſeu etiam Literatoriam aſſecurationem Pecora dimittere tenetur.

## QUÆSTIO XVII.

*Si pecora, ex violenta, ad damnum inferendum, ſeu Jus vendicandum impulſione, abigantur, & ille, cujus ante Abvagiationem fuerant pecora nec realem cautionem, ſeu pignus, nec literatoriam deſuper aſſecurationem extradare vellet, an talia pecora, Judex ſimpliciter extradare valeret?*

SI ille, cujus ſunt Pecora, ſecundùm præſcriptum Legis, nullam cautionem extradare

dare vellet, Judex, abvagiata pecora, eidem ſimpliciter, & abſque omni cautione, extradare non tenetur.

# QUÆSTIO XVIII.

*Si porrò ille, cujus ſunt pecora, neutrô modô cautionem extradare volens, Pecora abacta, ſive realiter manibus Judiciariis reſignata, ſive pro reſignatis habita recipere nollet, ſed quaſi ad infinitum ibi permitteret, taliſmodi autem Pecorum conſervatio, & intertentio, ſive Judici, ſive abigenti moleſta, & onEroſa eſſet, quid eo in Caſu, ſive Judici, ſive Abigenti, & pecora jam reſignanti cum ejusmodi Pecoribus agendum eſſet?*

SIquidem in facto Abactionis, propter marcarum Birſagium vitandum, abigenti terminus tridui poſitùs eſſet, & demum, ſi intrà triduum pecora non reſignentur, alter Terminus quindenæ, cum onere marcarum birſagialium exprimitur, ac tandem, ſi admonitio Judiciaria, ſuper reſignatione ad manus Judiciarias inſtituenda intercedat, etiam poſt quindenam, Pecoribus Judici non reſignatis, onera marcarum ſuum curſum haberent. A convertibili etiam, ad eum, cujus eſſent Pecora, ſi ille obduratus è manibus Judiciariis taliſmodi pecora habere nollet, videretur æquè intra quindenam, vel etiam poſteriùs, ad pecora, ſuô modô, erga Cautionem recipienda,

cipienda, alimentationemque ſubminiſtrandam admonendus, ita, ut, ſi poſt admonitionem Judiciariam, in pecoribus quidpiam Damni eveniret, aut etiam vendi debuerint, ſibi imputet, eoque in Caſu talismodi pecora, ſi intra bisquindenam non eximerentur, mediô Judicum Comitatenſium, pro omni ſuſpicione Damni inferendi vitanda, in quantum fieri poſſet Parte exemptionem omittente conſcia per peritos viros eorum æſtimatione inſtituta currenti prætio divendi poſſe cenſeretur, imputatôque perceptô lucrô, & Familiæ, ac pecorum intertentione deſumpta, reſidua pecunia, per formam depoſiti, præ manibus Judiciariis, aſſervaretur, vel hoc in caſu extraordinario ad diſpoſitionem Comitatûs reſignaretur, priusquàm ipſe Judex, vel ejus ſucceſſores, hac in parte moleſtiam habere deberent.

## QUÆSTIO XIX.

*Si modô prævió etiam poſt admonitionem, pecora è manibus Judiciariis non recipiantur, & expoſt mulgibilium integra cura non habita, ſterilia, & lacticinia amittentia efficiantur; an tale Damnum abigenti imputandum?*

SI ille, cujus ſunt pecora, poſt admonitionem Judiciariam, legaliter ea recipere intermittat conſequenter contra legis diſpoſitionem

tionem agendo ſemet culpabilem reddat, ſi quid damni (modô poſitiva incuria, & damnificandi ſtudium abſit) in taliſmodi mulgibilibus, pro ſterilibus, effectis, lacticiniorum ceſſans commodum eveniat, pecorum receptionem omittens damnum ſuâ culpâ procuratum, ſibi imputare debet.

# QUÆSTIO XX.

*Si ſint pecora jugalia, & poſt reſignationem, præ manibus Abigentis habentur, an licet Abigenti operâ eorundem uti? Et ſi non utatur, an talis neglectus labor, eidem imputandus veniret, ſive in pretium intertentionis, ſive aliàs, eo quoque in Caſu, ſi ille, cujus ſunt pecora, poſt admonitionem, recipere renuerit?*

PEcoribus pro reſignatis habitis, ſiquidem illa curari, & interteneri debent, videretur ſtare in arbitrio Abigentis, an operâ eorum uti velit? nec ne? ſi etenim operâ utitur, taliſmodi uſus fructus, ad imputationem, ſeu Familiæ ſallarii, ſeu intertentionis, imputandus veniet, ſi autem non uteretur, & labores non perciperet, aut ſors nec eorum neceſſitatem haberet, eotum pecora, abſque labore, ad meliorem ſtatum devenirent, ſi omiſſo labore, non enervarentur, conſequenter abigens, ad nullam imputationem laborum obligaretur.

# QUÆSTIO XXI.

*Si Pecora pro reſignatis habita, intuitu Damni compeſandi, vel intertentionis, plenè & totalitèr non reſtituantur, vel poſt longam moram, aliqua mactentur, aut vendantur, an reſpectu talium Abigens culpari poſſet?*

SIquidem Lex *Articulus videlicet* 42. *Anni* 1729. hoc, & id præſcriberet, ut pecora abacta, ad manus Judiciarias reſignentur, iſsque non reſignatis, marcarum pœnæ incurſus ſequatur, & quidem cum ea declaratione, ut ſi erga Judiciariam admonitionem, non reſignentur, etiam ultra tempus Lege definitum, marcarum deſumptio ſequatur, pro damnis autem abigens ſibi ſatisfacere non valens, à Judicis deciſione præſtolari deberet, & niſi talismodi pecora manibus Judiciariis reſignata completè reſtituantur abigens, & Marcis, & damni refuſione gravabitur, & hoc de ſtricto, de reſignatorum reſtitutione in natura intelligendum cenſeretur, in ſenſu tamen æquitatis, viderentur etiam in æquivalenti reſignata reſtitui poſſe; ſi poſt reſignationem, dum ad ejuſmodi pecora abigens ampliùs nihil juris habet, ex iis nonnulla mactari, aut vendi curet, vel aliàs diſtrahat, ſecundùm Legis dictamen marcarum incurſum vitare non poſſet; verùm apud Judicem,

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

Judicem, cui ea reſignavit, ſemet inſinuet, ſi etenim longa mora recipiendorum pecorum intercedat, & alimenta deficiant, Judex, pro vitando majori damno, ſi etiam pro reſiduis intertenendis aliqua divendi curaret, per hoc idem culpari non poſſet, etſi planè ea eximere renuat, ut præmiſſum, poſt bisquindenam authore Judice, Parte quoque exemptionem omittente in quantum fieri poſſet conſcia, divendenda exiſtimarentur.

# QUÆSTIO XXII.

***Si autem pecora quacunque ratione mactata, priùs, aut poſteriùs, in æquivalenti habeantur pro reſignatis, & per eum, à quo abacta fuerunt, à Judice eximenda eſſent, an pretium eorum, quaſi æquivalens reddendum veniret?***

SEcundùm contextum Legis toties citatæ, Pecorum ante reſignationem, exquacunque in animadvertentia, mactatorum, aut venditorum pretium, ut præmiſſum, mediô Judicis reſtitui poſſe videretur, eô modô quaſi ipſa pecora præ manibus Judiciariis fuiſſent, ſed poſt reſignationem, ſi pecora mactarentur, aut venderentur, abigens magis culpabilis eſſet, niſi fortè ille, cujus erant Pecora, pertinaciâ ductus, ea, etiam poſt admonitionem, recipere nollet. Sed tunc quoque abigenti authore Judice procedendum eſſet:

 ut tamen

ut tamen Titulum æquitatis habere videatur, priùsquàm ad infinitum marcale, Birſagium ſubire deberet, talium pecorum pretium, per formam ſupplementi, Judici reſignaret.

## QUÆSTIO XXIII.

*Si de inadæquato pretïo diſputaretur, an ille cujus fuerunt pecora, ejusmodi pretium inadæquatum levare deberet?*

LIcèt de hoc Caſu in Lege nihil exprimatur, nihilominùs, ut ſuperiùs dictum, priùsquàm, præſertim miſer Incola majus Damnum experiatur, videretur cum cautione, tale pretium levare poſſe, ut vel aliqua pecora, per emptionem in Oeconomiam ſupplere valeret, verùm tamen, & de inclita divenditione, ac etiam quoad inadæquatum pretium, & alia, contra abigentem, actio eidem ſupereſſet: præſtat autem in præmiſſis quoque, ut ille, cujus pecora ſunt abacta, non cum abigente, ſed cum Judice Comitatenſi, agenda agat.

## QUÆSTIO XXIV.

*Si adæquatum pretium ad manus Judiciarias non reſignetur, an propterea abigens pœnam marcarum incurrat? & damnum refundere debeat?*

SI prætium pecorum abvagiatorum, & per inanimad-

inanimadvertentiam, aut ignorantiam rigoris juris, mactatorum, vel realiter venditorum, ad minus in notabiliori parte, manibus Judiciariis deponatur, eô modô Abigens in tantum, in quantum Legali diſpoſitioni ſatisfacere videretur, propter cujus contemptum, ipſum marcarumBirſagium ſequeretur, verùm tamen poſt reſignationem ſi absque Judicis diſpoſitione, in taliſmodi abactorum pecorum venditionem ſemet immiſerit, tam ſuper illicita venditione, quàm & reſpectu inadæquati pretii, & concomitantis Damni, ille, cujus fuerunt pecora, ſatisfactionem plenariam habere debebit, ſi etenim jugalia araturam perficientia, aut mulgibilia, in pretio deponantur, & ſimiles jugales parem ùt vendita araturam perficere valentia, aut verò conſimilia pecora mulgibilia, eôdem pretiô comparari non valerent, ipſe abigens, præter æquivalentiam pretii, etiam intermiſſorum laborum, vel verò percipiendorum lacticiniorum adæquatam ſatisfactionem præſtare deberet.

# QUÆSTIO XXV.

*Si autem abigens, abacta pecora, melioris commodi percipiendi, vel etiam partem alteram vexandi causâ, in natura retineret, & pretium obtruderet, aut ſimulatè, ea ad tempus aliis divenderet, an tale pretium, manibus Judiciariis reſignari poſſet?*

QUandoqidem Lex ſtrictè injungit, Pecora, in natura, manibus Judiciariis reſignanda, eo in Caſu, vel maximè, ſi præ manibus in natura haberentur, aut, ſi ſimulata venditio remonſtrari poſſit, abigens, ob contemptum Judiciariæ diſpoſitionis, & poſitivum, proximum damnificandi ſtudium, pænam legalem marcarum; verùm, ſi per irrefrænatam, & Legis ignaram, licentioſam plebem, per quandam inanimadvertentiam, quamvis etiam licentioſam, mactentur, & non exſtent, ne res ad infinitam marcarum deſumptionem deveniat, hujuſmodi conniventia reſignandi pretii, ex æquo admittenda cenſeretur.

QUÆ-

# QUÆSTIO XXVI.

*Si pecora vel in abactione, vel ſub tempus detentionis, quôquômodô pereant, an talia in pretio, pro reſignatis habenda ſint? & ſi poſt reſignationem perdita fuerint, an per hoc, ſi non reſtituantur integrè, abigens Birſagium incurrat.*

SI ſub tempus abactionis, vel etiam detentionis, ante legalem reſignationem, Caſu, abſque culpa abigentis, pereant, Abigens quidem, actualiter plura non poterit reſignare, quàm quæ extant, tenetur tamen Judici notificare, quòd hæc, vel illa, ante tempus reſignationis ſint perdita, aliàs illa quoque pro reſignatis haberet, aut, ſi craſſam ſuorum incuriam obſervaret, quaſi in æquivalente, jure ita ferente, refundenda promitteret, tandemque, dum ſucceſſivè, ad Judicium deveniret, deperditionis Cauſa diſquiretur, & Judex diſcernet, an culpâ abigentis ſint perdita; reſpectu quorum, ſi culpâ abigentis perdita fuiſſent, propter cautionem ſuperiùs declaratam, de voluntate, ad manus Judiciarias, inſtituendæ reſignationis, bona fide, ut ſupponitur, procedens, propterea Briſagium marcarum haud incurrere videretur, ſi tamen in aliquo culpabilitas comperietur, refuſio Damni præſtari deberet,

# CAPUT VI.

*Summarium.*

## De pecorum ſub tempus abacti-onis cura, intertentione, utilitaisque ex iisdem perceptione.

## QUÆSTIO I.

*Ex quo, pecorum è manibus Judiciariis receptionis, tempore, circa pecorum intertentionem, & fructum ab eis provenientem, dificultas emergere ſoleret, quæritur, quiſnam abacta pecora intertenere debeat?*

SEcundùm præſcriptum *toties citati Articuli* 42. noviſſimæ Diætæ, ejusmodi Pecorum curam habere, & ea intertenere poteſt illæ, cujus ſunt pecora, ſi autem ex quacunque ratione, & cujuscunque præjudicii præcavendi intuitu, talium pecorum curam, & intertentionem omitteret; eotum, ipſe Abigens, ejuſmodi abactorum Pecorum curam habere, & iisdem de intertentione providere, aliàs macerationem compenſare teneretur; verùm tamen ille, cujus ſunt pecora, receptionis eorum tempore, ſecundùm Judicis, præ cujus manibus haberentur, deciſionem, reſpectu interten-

tertentionis facere, pro eaque ille, cujus fuerunt pecora, ſatisfacere obligatur, aliàs Judex, executione mediante, ſive ex abactis, ſive aliis, ejus, qui eximit pecora, Bonis, ea intertenenti ſatisfactionem impendere obligatur, verùm tamen, fructus, & emolumenta, medio tempore, ex iisdem Pecoribus percepta, ſecundùm ejusdem Judicis deciſionem imputanda venirent.

## QUÆSTIO II.

*Si Pecora præ manibus abigentis; vel Judicis ſint, ac ipſe ad quem ſpectant, alimenta eisdem ſubminiſtrare vellet, & ad ſubminiſtrandum non admitteretur, pecoraque emacerarentur, qualis ſatisfactio Damnificato inſtituetur?*

HAc in parte, obligationis quidem eſſet Abigentis, pecora competenter intertenere, ut, qui ex lacticiniis vel labore, reſpectivè intertentionis compenſationem haberet, aliàs omiſſa adæquata intertentione ad compenſationem procuratæ macerationis, obligaretur; ſi nihilominùs ille, cujus ſunt pecora, alimenta ſubminiſtrare vellet, & abigens, propter vexam, alimenta pecorum non admitteret, ita, ut compenſatione in paratis alimentorum, alteram partem gravare poſſet, quæ ei longè magis onerosa foret,

quàm

quàm in natura exiſtentium alimentorum adminiſtratio, eo in Caſu, ille, cujus ſunt Pecora abigenti, ad integram compenſationem ſubminiſtratorum alimentorum, haud obligari videretur, quamquàm & è contra, ſi ille, cujus ſunt pecora, eo fine alimenta ſubminiſtraret, fructuumque perceptionem omitteret, ut pro fructibus partem abigentem meliùs trahere poſſet; quamvis in ſimilibus quoque ſtudium damnificandi, in conſiderationem veniret: ſed, quia ſimilium computus, & adjuſtatio, non in partibus, ſed in Judice conſiſterent, hujusmodi conſiderationes prudens Judicis Judicium de facili ſuperabit.

## QUÆSTIO III.

*Ex quo Pecora mulgibilia, ſi vel per triduum negligantur, lacticinia cum damno hoſpitis, amitterent, an hoſpes, à quo abacta ſunt pecora, poſſit ſub tempus abactionis lacticinia percipere, vel ipſe abigens, ejuſmodi lacticiniorum curam gerere, obligatur?*

EAdem Lex ſupra notata *Articuli* 42. Diætæ noviſſimæ, etiam lacticiniorum, ad eum, cujus ſunt pecora, ſpectare debentium meminit, ita, ut ille, à quo abacta ſunt, ſi commodè fieri poteſt ejusmodi lacticinia percipiat. Sin minùs, ac quacunque ex ratione, præjudicii inferendi, ſeu cujuſcunque incommo-

commoditatis vitandæ cusâ taliſmodi lacticinia percipere intermitteret, ipſe abigens, eorum curam habere, & taliſmodi lacticinia pecipere teneretur.

## QUÆSTIO IV.

*Quòd ſi pecora, præ manibus Judiciariis actu exiſtant, & debita cura alimentorum, aut lacticiniorum omiſſa, ille, ad quem ſpectarent, damnificatur, an Judex propterea, compenſanda compenſare deberet?*

CAuſis, & Caſibus in præmiſſis, diſtincta ratio eſſet pecorum, præ manibus abigentis habitorum, diſtincta item, præ manibus Judiciariis exiſtentium; nam ad Pecora præ manibus abigentis habita, vel ex eo, difficilior acceſſus eſſet, quòd ex concurſu partium, de facili, altercationes, & inconvenientiæ evenire poſſent, & hinc abigens pecorum abactorum, in alimentis, & lacticiniis, curam habere deberet, Judici verò, ex quo talis reſignatio onerosa eſſe non deberet, ibidem ille, cujus ſunt pecora, iisdem invigilare obligaretur, niſi fors, ipſe Judex, ex benevolentia, pecorum intertentione, curâ habitâ, & alimentis ſuppeditatis, in horum compenſationem, beneficium, vel in laboribus Jugalium, vel in lacticiniis, aut aliis beneficiis, percipere vellet, à quo aliàs, taliſmodi

liſmodi pecora, abſque ulteriori remora, Legis conformitate, eximi valerent.

# QUÆSTIO V.

*Poſteaquam manibus Judiciariis pecora reſignantur illa expoſt, ſecundùm indultum Judicis, de iis dimittendis, requiſiti, erga Cautionem dimittuntur, indultusque abigenti notificatur, ſed, ſi præſertim numeroſa ſunt pecora, & ſumptuoſa ſit eorum intertentio, an illa, abigens, ſimpliciter abſque reſfundendorum refuſione, dimittere teneatur?*

OFficio Judicis videatur incumbere, vel ita, ut committat dimiſſionem, quatenùs previè, de alimentis, cum lucrificationis imputatione, ſatis fiat, & pecora dimittantur, vel potiùs ipſe Judex, acceerſita parte abigente, difficultates eorum, cum fructuum, & alimenti computu terminet, præſentaneaque ſatisfactio impendatur, quò pecora abſque mora dimitterentur, vel ſi moram dimiſſio non pateretur, & Judex eotum præmiſſa inveſtigare, & terminare non poſſet, ſi aliquod pecus, quaſi æquivalens, ad Judicis deciſionem, judice diſponente, pro alimentis retineretur, non videretur eſſe inconveniens, ſed, ſi abigens indebitè retineret, ille culpabilis eſſet, ne tamen ex tali detentione, novæ difficultates, ac ne fors marcarum

rum pœnæ in Quæſtionem veniant, præſtat, ut pecora plenô numerô dimittantur, Judex autem ſummariè, absque Proceſsûs formalitate, velut, eotum, dum adhuc pecora præ manibus Judicis habeantur, computum de lucro, & ſumptibus, inſtituere debuiſſet, ita expoſt, dum & quando, talismodi computus inſtitui, & partibus evectiva ſatisfactio impendi poſſet.

## QUÆSTIO VI.

*Lacticiniis, & utilitate abactorum pecorum, ad eum, à quo abacta eſſent, ſpectante, ergo ne ille, præ cujus manibus pecora haberentur, ſenſu ſæpè citatæ novellæ Legis, de Lacticiniis, & aliis pecorum comodis, ac utilitatibus, eô modô formales rationes, reddere, & Cenſuram ſubire deberet?*

JAm alibi dictum eſt, pecora abacta, vel manibus Judiciariis realiter reſignari, vel pro reſignatis haberi quidem ſenſu præcitatæ Legis, formales rationes, ab eo, præ cujus manibus pecora haberentur, non deſiderarentur, attamen aliquid ſimile eſſe videretur; verùm ille Judex, cui pecora aſſignantur, vel potiùs pro aſſignatis habentur examinatis iis, qui pecorum curam geſſerunt, & de pecorum utilitate, ſimul ac in eadem ſumptibus impenſis, reſcita veritate, iisque in conſiderationem, combinationem, & notam

tam ſumptis, pro æquo & juſto, adjuſtanda adjuſtare teneretur; evenire quidem poteſt, pro Judicium qualitate, & inclinatione, ut abigentis partes, in ſtrictiorem calculum ſumatur, ſed è contra, & hoc fieri poſſet, ut iis laxiùs computatis, ille, cujus pecora abiguntur, vix aliquam refuſionem haberet, quin potiùs adhuc alimenta, & curam familiæ, compenſare deberet.

## QUÆSTIO VII.

### *An poſt triduum, ille, cujus ſunt abacta pecora, apud Judicem perquirere, & illa ab eodem eximere debeat?*

PArte abigente, ſecundùm præſcriptum Legis, pecora abacta, Judici reſignante, ipſe Judex non tenetur illum, ad quem aliàs pecora ſpectarent, quis, & ubi ſit, perquirere, cùm Judex per acceptationem pecorum, officio ſuo fungeretur; verùm ille, à quo abacta eſſent, ea perquirere, & à Judice, ſuô modô, eximere teneretur, aliàs, ſi ex mora non receptorum pecorum, aliquid damni, aut incommodi patitur, ſibi imputet, neglectos ſiquidem labores, nemini fructificantes, ſi legitima fuerat abactio, nemo eidem compenſabit.

compenſabit

QUÆ-

# QUÆSTIO VIII.

*Quid, ſi pecora, cum ea conditione, reſignantur, & quidem in Teſtimonium, illati damni, illis reſignatis, ut alias non reſtituantur, quàm erga præviam damni compenſationem, quam ille cujus ſunt pecora, ſors intra triduum, Lege ordinatum, compenſare paratus eſſet, an illa pecora Judex tantiſper detinere poſſet, uſque dum tale damnum compenſetur?*

LEx quidem novella nullius conditionis, per reſignantem interponendæ meminit, præterquàm ut erga cautionem, in eadem Lege denotatam, Pecora dimitantur, niſi fortè Cautio ipſa alimentorum compenſationem inſtituendam ſecumferret, veluti etiam, in Cauſalibus, vel incuriis damnis, ex juſto, & æquo, Damnificato, ſive per Judicem loci, ſive per Judicem Nobilium, damni æſtimatione peracta, ſatisfactio inſtituenda eadem Lege præſcriberetur; quâ intra triduum conſecutâ, pecorum reſtitutio, ſuaptè ſequeretur, nec eſſet ratio, ſi nimirum violentia non ſubverſatur, cur ampliùs talia pecora, ad reſignationem, ad manus Judicis devenire deberent; ſi autem abigens, eum, cujus ſunt pecora, vexare cupiens, oblata etiam damni compenſatione præſentanea, pecora detineret, Judici aſſignanda, & eo-

rum ſeu maceratio, ſeu lacticiniorum ſublatio eveniret, pro Damnis, ac marcis, mediô Judicis Nobilium, qui in ſimilibus legalis Judex cenſeretur, ſatisfactionem conſequi poſſe videretur; prout jam in præmiſſis, ſuper conditionata reſignatione, dimiſſionem pecorum impedire non valente, dictum eſſet.

# QUÆSTIO IX.

*Sed quis finis, reſignandorum ad manus Judicis pecorum? ſi dubia eſt pro damno ſatisfactio?*

QUamvis Lex *Partis* 3. *Titulus* 33. Summariè attingat, abactionem, & reſignationem obſervandam haud dubiè, tum in Teſtimonium Actûs interventi, & ubi amiſſio pecorum ſequitur, quô conſtare poſſit numerus, & qualitas ejusmodi pecorum abactorum, cùm etiam, ut ex numero pecorum, quantitas damni illati, penſitari, & recognoſci valeat, pecoribus tamen è manibus Judicis exemptis, idem pro damno, ſatisfactionem impendere, poteſt, & tenetur.

# QUÆSTIO X.

*An fructus pecorum, etiam à talibus pecoribus, quæ amittuntur, pro eo, cujus erant, computari debeant, & illi eidem refundi, vel pro alimentis imputari poſſint?*

JAm ſuperiùs deductum eſt, in Sylvarum ſuccifione, & Decorticatione, nec non Terri-

Territoriali abvagiatione, Bona penes invadentes habita amitti. Quia tamen ejusmodi pecora, *vigore Anni* 1715. *Articuli* 94. Judicem Vice Comitem haberent, eaque è manibus Judiciariis, ei, cujus erant, quantumvis erga cautionem, recipere liceret, eaque uſque dum abjudicentur, illius eſſe cenſentur, fructus tamen ibi refunduntur, ubi quis alium ex Poſſeſſione indirectè excutit, & fructum alienum intercipit. Præſenti autem in Caſu, adhuc ſub Judice Lite pendente, an pecora amittentur, dedicendum veniret, hinc ejuſmodi fructus, uſque dum Judicialiter, pecora abigenti adjudicentur, pro eo, cujus pecora, ante abactionem, fuerant, cedere debere cenſeretur.

# QUÆSTIO XI.

### *Si abigenti non ſupereſſent media, intertenendorum abactorum pecorum, quid cum iisdem agendum?*

POſſent quidem ejusmodi abacta numeroſa pecora Judici Nobilium abſque procraſtinatione reſignari; ſed ſi eidem Judici, illorum intertentio oneroſa eſſet, Abigens, ſuper intertentione, pro iisdem neceſſaria ſuppeditanda, eum cujus ſunt pecora, præmoneri facere valeret; ſed ſi ille, eam ſuppeditare renueret, de eorum alimenta-

tione, ſucceſſivè compenſanda abigenti, undecunque proſpicere teneretur, debent etenim facultates ei ſupereſſe, cui in amplioribus Bonis, numeroſiori pecorum quantitate, damna inferuntur. Si verò ſtudiô omitteretur eorum exemptio Judex eotum per nonnullorum (ut alibi dictum eſt) divenditionem, de eorum intertentione, proſpicere poſſe videretur.

# CAPUT VII.

*Summarium.*

## De Damnorum, per abacta Pecora illatorum compenſatione.

## QUÆSTIO I.

*Quæ, & qualia Damna, per pecora illata, qualiter refundenda ſunt?*

Recens Patriæ Lex *in Anni* 1729. *Articulo* 42. *contenta* declarat, damna per pecora, & pecudes illata bifariàm conſideranda venire, ſi videlicèt damna, per Caſum, ſive etiam incuriam paſtorum, inferantur, & hoc in Casu, eductis

Loci

Loci Incolis, videlicèt Judice, cum aliquo Jurato, damnum æſtimatur, per eum, cujus pecora fuerant, compenſandum; aſt damna, ex violenta pecorum impulſione, illata, ſi nimirum Pecora ſpontè, damnum inferendi ſtudiô, in Prata, hortos, fruges, &c. impellantur, eo in Caſu, cui damnum infertur, ſi damni refuſione contentari vult, ſtat in ejus arbitrio, ſin minùs, etiam pœnam violentiæ acquirere poterit; ſi verò intra vicinos Loci, per exceſſuoſam Familiam, & nonnunquam Incolas Loci, Caſus eveniat, Loci Magiſtratus, in ſimilibus, tales exceſſuoſos, præter Refuſionem Damni, etiam aliàs compeſcere, & mulctare aſſoleret, renuentes autem, & renitentes, eadem authoritate magiſtratuali, ad ſatisfaciendorum ſatisfactionem compelleret; verùm ſi cum Dominis, vel Nobilibus, præſertim à bona vicinitate alienis, eorumque hominibus, & ſubditis Caſus occurrat, paſſim, mediô Judicum Comitatenſium, ſatisfactio conſequitur, ac quandoque etiam ad diverſos Proceſſus condeſcenditur.

## QUÆSTIO II.

*An in hujuſmodi damnificationum, & abactionum Caſibus, Dominus, pro ſua familia, vel officialibus aut ſubditis ſatisfacere debeat?*

PRo Caſuum diverſitate, Violentiæ, & damna compenſantur, ſi nimirum, ex offico latu Actus patratur, eô modô, vigore *Anni* 1659. *Articuli* 33. Officialis quidem impetitur, ſed ex Domini Bonis ſatisfactio impenditur. Cæterum in Caſibus ordinariis Damnorum illationem, ſi illa per Caſum, aut incuriam eveniant, per æſtimationem damnificato ex familia ſatisfit; ſi autem ſubditus violentiam patrat, Dñus Terreſtris ſatisfactioem impendit, ſed pro damno, ex indultu Legis Novellæ, etiam Judex Nobilium videtur ſatisfacere poſſe. Dominus tamen Terreſtris, propter officialium exceſſus compenſandos, pro familia ordinaria, aut ſubditis, non ex propriis, ſed ex mediis eorum ſatisfacit.

## QUÆSTIO III.

*Quid ſi damnum exceſſivè, vel nimis obiter æſtimetur, quale in ſimilibus remedium?*

SI Incolæ unius Dominii ſint, recurſus datur ad Dominum Terreſtrem, ſi verò diverſorum Dominorum, aut etiam reſpectivè ipſi Compoſſeſſores Nobiles intereſſantur, &

gravatos

gravatos ſemet ſentiunt, eo in caſu, vigore Novellæ Legis, rectificatio æſtimati Damni, ad Judicem Nobilium ſpectat.

# QUÆSTIO IV.

*An per Judicem Nobilium, abſque Proceſſu brevium, ſeu violentiarum, taliſmodi damna, ex ſubditis alienis deſumi poſſint?*

LIcèt quidem *vigore Partis* 2. *Tituli* 26. ſubditorum Dominus Terreſtris eſſet Judex, & in Caſibus ibidem denotatis, ſuper iisdem querulantibus impenderet ſatisfactionẽ, verùm, quia recens Lex *in ſæpè citato Anni* 1729. *Articulo* 42. hujusmodi damnorum Caſum ſpecialiter definiret, indirectamque æſtimationem per Judicem Nobilium rectificandam præſcriberet, conſequenter Judicibus Comitatenſibus, circa ſatisfactionem pro damnis impendendam, facultatem tribuere videretur, jamve in quibuſcunque Caſibus, refuſio expenſarum adjudicatur; Unde in hujusmodi damnorum refuſione impendenda, ad ſatisfaciendum Judex Nobilium legaliter procedere poſſe videretur; quia autem violentia una cum damno procurato deſumi ſoleret, ſi itaque damnum deſumatur, non obſcurè deſumens, violentiæ acquirendæ renunciâſſe cenſeretur, aliàs enim, ſi violentiam acquirere vellet, à damni compenſa

penſa ſuperſedere, & damnum cum violentia, ſuâ viâ acquirere deberet.

# QUÆSTIO V.

*Si in ſegetibus, aut aliis utilitatibus, damna inferantur, ita, ut notabili damno præexiſtente, nullus damnum inferens, deprehendi potuerit, ſi tamen tandem aliquis in tali loco damnum inferens, comperiatur, an iſte, totum damnum compenſare debeat?*

POſſent equidem pro, & contra induci rationes, ut in damno deprehenſus, totum damnum compenſare debeat, verùm, quia ex tali deprehenſi aggravio, plures inconvenientiæ ſequerentur, poſſet enim evenire, ut vel ex incuria, vel conniventia Poſſeſſoris, vel ex omiſſa ſufficienti inveſtigatione, damnificatus ita rem dirigeret, quò quempiam, cui moleſtus eſſe vellet, gravare, & involvere cupiens, ad occaſionem ipſius pecorum, totalem ſui damnificationem reſervaret, cùm tamen in damnificationibus ſimilibus, nemo ultra illatum damnum, prudentis Judicis judiciô diſcernendum, compenſare teneretur, ac, ſi in aliis cauſis, & Negotiis, unus pro alio, onus, & gravamen ſupportare non teneretur, ita etiam, in Caſu præſenti, ibidem deprehenſus, ad univerſalem talismodi damni refuſionem, (ſi nimirum

conſtet,

conſtet, jam pro priori, per alios damnum illatum fuiſſe) hicce ſolus non obligaretur.

# QUÆSTIO VI.

*Jam ſuperiùs, de pecorum reſignatione neceſſaria, dictum eſt; aſt de rerum neceſſaria, vel non neceſſaria, reſignatione, annotationibus factis, oritur Quæſtio, an in quocunque caſu taliſmodi res, ſive manibus Judiciariis reſignatæ, ſive non reſignatæ, amitti, vel in compenſationem damni detineri poſſint?*

CONſiderata pecorum, & rerum ſpecie, quæcunque pecora, aut res, ad reſignationem ſpectarent, & manibus Judiciariis aſſignantur, illæ ampliùs, per reſignantem, nullatenùs detineri poſſunt; verùm res viliores, in obviis damnis ablatæ, & ad reſignationem pro hic & nunc non ſpectantes, eò fine detinentur, quatenùs damnificatus, eò faciliùs ſatisfactionem conſequi poſſit, vel etiam, in obviis Caſibus, pro tali quali exceſſu, cuſtodibus Territorii, aliquâ Taxâ præſtitâ, ablatum pignus reſtitui ſoleret.

# QUÆSTIO VII.

*Quamdiu tales Res ablatæ ſive per Cuſtodes Territoriorum, ſive damnificatos, detineri valerent?*

SIquidem ſingulum negotium, ſuum finem

ſortiri deberet, Caſuque in præmiſſo, pars utraque, accelerationi rei terminandæ, incumbere videretur, & quidem in ſegetibus, & aliis utilitatibus, damnificatus in id intendit, ut eatenùs ſatisfactionem conſequatur, aut ſi Cuſtodes, in damnis illatis, Catenam, vel alias res auferant, ut recognitionem ſuorum fatigiorum conſequi poſſint: è contrà ille, cujus res auferuntur, ad easdem rehabendas, prætenſionem haberet, ſed quia ille, præ manibus cujus res habentur, quadantenùs jam ſatisfactionem conſecutus fuiſſe videretur, non tamen ſufficienter legitimatam, unde directiùs terminandæ hujuſmodi Diſceptationis adarguendus finis, ad eum, cujus res ſunt ablatæ, quam ad illum, qui illas præ manibus habet, ſpectare viderentur, modus autem jam ſuperiùs annotatus eſt, ut vel mediô Judicis Loci, & Juratorum, vel pro ratione Caſuum, & perſonarum, mediô Judicis Nobilium Damni prætenſivè illati adjuſtatio inſtituatur; ubi autem non in tantum damnum, quàm exceſſus aliquis ſubverſaretur, eotum moderata Taxatio, pro Cuſtodibus præſtanda eſſet, taliterque, vel res ablatæ redimi, vel in eodem pretio, ibidem permitti ſolent, aliàs juſtitiæ, æquitati, & Legi conforme eſſe videretur, ut ſi ille, à quo res auferuntur, ejusmodi res, absque ulla, in ſuis

ſuis inſtantiis poſita querela, aut repetitione, adeoque Culpâ, Negligentiâ, & incuriâ ſuâ per Annum, & Diem, eas ſimpliciter deſertas permitteret, taliterque, per taciturnitatem, in compenſandorum compenſationem, ſive Damnificato, ſive Cuſtodibus cederet, & permitteret, hac ratione auferens, aut præ cujus manibus haberentur, iisdem liberè uti, & pro ſuo libitu eas diſtrahere poſſe cenſeretur.

# QUÆSTIO VIII.

*An in iis Caſibus, ubi alii cum curribus per ſegetes, aut Terras arabiles, à tranſitu probibitas, proficiſcuntur, item in ſegetibus, Pratis, Vineis, bortis, ſub Titulo graminis, vel contra probibitam graſſantur, vel cincturas, ſepimenta diſtrahunt, & deſtruunt, ac ab illis aliquæ res, Catenæ, Gauſapæ, Cotburni, Pilei, Cinguli, Lodices &c. in Pignus accipiantur, ac vel pro damno, & Cuſtodibus, reſpectu actûs illiciti, pro eorum fatigio, prout, & Judicibus Loci pro damni æſtimatione detineantur, quis modus, ut Partibus ab utrinque ſatis fieri poſſit?*

QUantum ad compenſationem damnorum, illa, vel ſpontè per currulisationem, vel Caſu fortuito, & per incuriam, vel per pecorum violentam impulſionem, inferuntur. Ubi enim itinerantes damnum inferunt,

runt, tales, eô factô, ad ſatisfactionem compelluntur; aſt, ſi per violentam pecorum impulſionem infertur Damnificatio, niſi partes aliàs accomodare velint Negotium, ibidem violentia, cum Damnorum refuſione, locum habet: Verùm in aliis Caſibus, vel damna, ut præmiſſum, fortuito, aut per incuriam illata, vel illicitus in Terrenum alienum, ut eſſent ſegetes, horti, & alia, ingreſſus conſideratur, quorum ingreſſus, & vel ſimpliciter, tranſcendendo cincturam aggreſſio culpabilis eſſet, multò magìs, ſi in illato Damno aliquis deprehendatur, mulctandus veniret, & hoc in caſu, ſive propter vilitatem, & exiguitatem, ſeu concculcationis, ſeu aliàs illati damni, ſeu illiciti ingreſsûs, Cuſtodes aliqua exigua oblatione contentantur, & ſi quid à talibus ablatum eſſet, ex tunc per eos reſtituitur, in notabilioris autem cincturæ, & præcluſuræ vel ſola violatione, tantò magìs Damni illatione, Damnorum refuſione, pro ratione conſvetudinis, Loci præſtita, præter damni æſtimationem, vel aliquod exiguum, Cuſtodibus, & Judicibus Loci, præſtandum decernitur; vel verò Damnum ita æſtimatur, ut per ejus compenſationem, à parte illius, qui contentationem accipit, Judicibus quoque, ac etiam cuſtodibus aliqua contentatio obtingat, ut qui in compenſationem fatigii,

tigii, & invigilantiæ, aliquod exiguum - - habere ſolerent; ſed quia ejusmodi Cuſtodes, plerumque, ex leviſſimis Cauſis, miſeros Incolas nimiùm gravare ſolerent, in tales exceſſuoſos, vel Loci Magiſtratus, vel, ſi unius Domini ſubditi ſunt, Dominus Terreſtris, vel etiam, ſi plures Loci compoſſeſſores darentur, Judex Nobilium, præcisè quoad ejusmodi exceſſuoſam taxationem, tanquam æſtimandi damni, ex Novella Legis etiam ad Judicem Nobilium ſpectantis, acceſſorium remedium adhibere poſſit.

# QUÆSTIO IX.

*Si per omiſſam mulgibilium Pecorum, intra tempus tridui, curam, & lactis expreſſionem, ſterilia Pecora efficiantur, vel aliàs ſi macerentur, aut jugalia labore enerventur, an abigens, ad compenſationem damni illati obligetur?*

PEr *Anni* 1729. *Articulum* 42. Invagians, præter marcale Birſagium, etiam refuſioni damnorum, ex intermiſſa vel plenô Numerô, non facta pecorum reſignatione, vel neglectâ eorum curâ, aut proviſione, emergentium, Cauſatorumque ſumptuum ſubjaceret; quin imò, non modò pecora diſtracta perſolvere, verùm etiam fructum eorum compenſare obligaretur.

QUÆ-

# QUÆSTIO X.

*Si damnum ſit nimis vile, non niſi aliquot Denariorum, & Damnum inferens, illud compenſare renuat, an Judex Comitatenſis contra eum procedere poſſit?*

SEcundùm Contextum Legis, ille cujus pecora damnum intuliſſe comperientur, talem damnificationem compenſare tenetur, &, ſi voluerit Damnificatus, pro diverſitate damnum inferentium, ſive mediô Pagenſis, ſive Comitatenſis Judicis procedat, expenſas quoque, præter ejusmodi damnum, ſi etiam vile ſit, modô previô, propter renitentiam, ſibi cauſatas, damnum inferens, compenſare tenetur.

# QUÆSTIO XI.

*An priùs damnum rehabendum, vel verô pecora, ad manus Judiciarias, reſignanda eſſent?*

SI Pecora Caſu damnum intulerint, de recto ordine, talismodi damnum absque ulteriori mora, abigenti refundendum eſſet, & hac ratione, per Legis Diſpenſationem, pecora per triduum detinenda admitterentur, ut intereà temporis damnorum adjuſtatio inſtitui valeat, quâ præhabitâ, pecora quoque, ei, cujus eſſent, reſtituerentur, nec eſſet neceſsè, ad manus Judiciarias ea reſignare; ſi tamen

tamen etiam Actum violentum prætendere intenderet, & in hunc finem, cum Cautela violentiæ acquirendæ, refuſionem Damni acceptaret, aliàs enim violentiæ cedere viderentur; ex tunc talismodi Pecora, vel eo inſtanti compenſati Damni, in Teſtimonium violentiæ, manibus Judiciariis reſignari deberent, vel verò, in præſentia talium perſonarum, reſtituerentur, quæ, ſuper reſtitutione, Teſtimonium eidem dare poſſent, aut verò, ſi violentiam acquirere intenderet, præſtaret Damni refuſionem, ad Proceſſum ſuſpendere: quandoquidem, ut præmiſſum, compenſatô damnö, injuria adjuſtata eſſe videretur, priuſquàm iteratas altercationes, à Judicis deciſione dependentes, ſubire deberet.

## QUÆSTIO XII.

*Præſertim in Caſibus, & incuriis damnis, ſi intra triduum, pro damno ſatisfactio, & pecora ei, cujus erant, reſtituantur; an, ut præmiſſum, pœna violentiæ, præter damnum illatum, acquiri poſſit?*

SI hoc eſt verum, quòd Pecora, per Caſum Damnum intulerint, obtenta Damni refuſione, pœna violentiæ ceſſaret, ſi tamen comprobari poſſet, ſpontè, aut modô violentô, ac poſitivè damnum illatum fuiſſe, hac ratione, ſi etiam damni, ut præmiſſum, compen-

compenſatio, abſque Cautela vindicandæ violentiæ ſi ea intervenit, acceptetur, an pœna violentiæ ceſſaret, à deciſione Judicis pendet, aliàs enim innumeræ vexæ, etiam in ſpontaneè illatis damnis evenire poſſent, quamquàm inter bonos Vicinos omnia facilè adjuſtari, è contra, de facili diſcordiæ procurari poſſent, quæ ſpontaneam violentiam ſecum ferens damnorum illatio, & an violenta fuerit, ejus cognitio, in prudentis Judicis judicio conſiſteret; verùm, quia taliſmodi damnorum illationes, vel maximè, ex inſolentia, & incuria familiæ evenirent, in vicinia conſtitutis Compoſſeſſoribus, ex ſimilibus, lites ſuſcitare non conveniret.

# QUÆSTIO XIII.

*Damna, ſeu Cauſaliter, ſeu violenter illata, per Judicem Loci, vel verô, per Judicem Nobilium æſtimari, & tandem, per quem refundi deberent?*

IN præmiſſis jam declaratum eſſet quod videlicet *Anni* 1729. toties citatus Articulus, utriusqe ordinis æſtimationem Damni admittat, ita, ut æſtimatione ruralis Judicis, partibus non contentis, taliſmodi æſtimationem, mediô Judicis Nobilium, cum expenſarum refuſione, partes rectificari facere poſſint, ita ut, ſi etiam viliſſimum ſit damnum, & in opprobrium

probrium Damnificati, damnum inferens, refuſionem facere nollet (quamquàm etiam hujusmodi refuſio deſiderata, aliquam vexam ſapere videretur, quoniam in viliſſimis damnis, Cuſtodes Territoriorum, aliquam exiguam Taxam perciperent) attamen de ſtricto, damnificatus, cum expenſis, ſatisfactionem conſequi valeret. Qualium damnorum refuſionem, ipſi inſolentes Paſtores compenſare deberent; ſed cùm per hos, quandoque hoſpites vexarentur, illique, ſi ex eorum ſalario ſimilia detrahantur, etiam extra tempus conſvetum eos deſerere vellent, pabulationeque pecorum, pro hoſpitis beneficio cedente, pecora macerare valerent, ideò plerique ipſi hoſpites talia damna compenſant.

# QUÆSTIO XIV.

***Siquidem per eundem*** Articulum 42. ***Terminus Quindenæ, mediô Judicis Nobilium, rectificandi Damni poneretur, an effluxô tali Terminô, ejuſmodi rectificatio inſtitui poſſit?***

Ex quo Cauſæ, ad infinitum pendere non poſſent, & præſertim damna illata, ex recenti rei ſtatu, ex æquo cognoſcerentur; niſi proinde aliquod legale impedimentum intercedat, propter quod rectificatio deſiderata, intra Quindenam, per Judicem Nobilium inſtitui nequiret, Damnificatus, per

Ruſticos facta æſtimatione, contentari deberet; & ſi abſque ſufficienti impedimento, & jam intra Legalem Quindenæ Terminum, ubi mediô Ruſticorum, æſtimatio peragenda eſſet, ille, cui damnum eſſet illatum, in Caſualibus, aut incuriis Damnificationibus, inſtituendam æſtimationem omitteret, ibidem ampliùs, propter tempus Legale effluxum, ad tale damnum conſequendum, regreſſum vix haberet.

## QUÆSTIO XV.

*Si æſtimatio omittatur, & præſertim ubi ad violentiam procedendum eſſet; an ejusmodi æſtimatio, intra Quindenam peragenda, & an non omiſſa æſtimatione, damnum recuperandum omittatur?*

Licèt quidem Proceſſus Violentiarum, dum & quando talis Actio diſquiritur, refuſionem damni compenſandam, ſecum ferat, damnique diſquiſitio, per juratas Loci Perſonas recognoſci valeret. Interim tamen præſtaret ſi damnificatus, recentiori damni illati tempore, ſive medio Incolarum Loci, ſive etiam Judicis Nobilium, oculata mediante, Teſtibusque adhibitis, ſtatum ipſius damni clarificatum redderet, quô in Judicio, Actionem ſuam, ſuô modô, firmare poſſet.

QUÆ-

# QUÆSTIO XVI.

*Siquidem in omni Damni illati Caſu, violentia acquiri non poſſit: quid, cum opilionibus damna inferentibus agendum?*

LEges toties citatæ, ut ſuprà uberiùs jam declaratũ eſſet, diſtinguunt ipſos Caſus, in ſimplicem Damnificationem, & violenter, ſeu potentia mediante, illata damna, ſi enim ſit ſimplex non malitioſa, & violenta damni illatio, illa absque violentiæ compenſatione refundi ſolet, imò inter Jura bonæ vicinitatis, ſi etiam ipſi Paſtores, commodioris paſcui intuitu, non minùs, quàm ſubreptitiè, aliis damnum inferant, compenſatione Damni, Pars damnificata, quandoque contentatur; verùm tamen, ſi Proceſſus brevium inſtituatur, ex æquo, & juſto, violenta pecorum impulſio, vel ſpontanea intromiſſio remonſtranda veniret, quæ etiam eô modô, ſpontaneum Damnum clarificare videretur, ſi Paſtores, & pecorum Cuſtodes, ac vel maximè opiliones, pecora aliis damnum inferre valentia, ad ipſam Viciniam, damnumque procurandum impellunt, & abinde non expellunt, usque dum talia feciſſe, ab aliis obſerventur, vel ad ea expellenda, commoneantur, hujusmodique Paſcuationem, eô modô, in alieno Terreno violenter intentan-

tes, ſeu continuantes, jure merito coercendi venirent.

# QUÆSTIO XVII.

*An æſtimatio damni, parte utraque præſente inſtitui debeat?*

Cùm in omnibus Negotiis, Partes audiendæ eſſent, in hoc quoque Caſu, tempus æſtimandi damni, Parti utrique notificandum eſſet, nec æſtimatio in moras protrahenda, eſſet; ſi tamen quôquô modô, alterutra abeſſet, dummodò Aſtutia abſit, damnum, etiam, per ſe facta diſquiſitione ex officio Judicis inveſtigare poſſent, æſtimatio autem, utraque Parte remota ſive per Judices Loci, ſive per Judicem Nobilium determinanda veniret.

# QUÆSTIO XVIII.

*Greges, vel Armenta pellentes, qualem pro paſcuis ſolutionem præſtare deberent?*

JAm ſuperiùs attactum eſt, dum numeroſa Pecora pellerentur, pro paſcuis admittendis, inſinuationem præmittendam venire, apud eos, quorum Territorium eſſet, vel qui ejuſdem Territorii Uſum manutenerent, in amplioribus autem Territoriis, quà armenta pelluntur, quod à pecore denarii 2. ſolvendi

ſolvendi ſint, Lex *Anni* 1723. *Articulus* 15. *præſcriberet.*

# QUÆSTIO XIX.

***Si ex damnis Pecora abigantur, an pro damno aliquod ex pecoribus, damnificato reſignandum ſit? ſi quidem in præmiſſis attingitur, pro alimentorum compenſa, authore Judice, ex abactis Pecoribus ſatisfieri poſſe?***

SIquidem Lex Regni, determinatè, abacta Pecora Judici, reſignanda committeret, & ex tali Compenſatione, Judicibus conniventibus, de facili deceptiones, & fraudes committi poſſent, nullatenùs, in poteſtate ſive ruralis Judicis, ſive Judicis Nobilium eſſet, ex talismodi abactis Pecoribus, compenſam inſtituere, verùm illa plenè, manibus Judiciariis, reſignanda venirent, niſi fortè ille, cujus eſſent pecora, ex partibus remotioribus, aut ex alio Comitatu eſſet, & nec alter modus refundendi damni, tam facilè ſupereſſet, eo etenim in Caſu, ex pecoribus, præ manibus Judiciariis habitis, non inconvenienter ſatisfactio, & compenſatio inſtitui poſſe cenſeretur. Ac ſi etiam pro intertentione, ex pecoribus abactis, per Judicem Nobilium, receptionis, eorum tempore ſatisfiat, damni tamen illati compenſatio diverſas conſiderationes habere poſſet, cùm ibidem

eadem pecora, intertenenda, directiùs eô modô, reſiduorum conſervationem ſecum ferre viderentur: in Damnis autem refundendis, ex quibuscunque damnum inferentis Bonis, ſatisfaciendum eſſet: præterea rarum eſſet, ut pecora propria paſtorum ſint; ſed ad hoſpites, ſeu Dominos Terreſtres ſpectarent; adeoque in damni, per familiam illati compenſam, cedere non poſſint.

# QUÆSTIO XX.

*Cùm damnum illatum, damnificatus æſtimari faciat; ac ſi ſit æſtimatio oneroſa, illam, Pars adverſa, intra Quindenam rectificari curet. Intra quale itaque tempus, ejusmodi damnum æſtimandum? & ſi realis Cautio, pro damno ponatur, intra quot dies, vel per Cautionem ponentem, illa redimi, vel verò damnificato extradari debet?*

VElut ex toties citatarum Legum *Part.* 3. *Tit.* 33. & *Articuli* 42. *Anni* 1729. Contextu elici poteſt, ac ipſe Curſus rei, ſecum ferre videtur, æſtimatio damni, intra Triduum, vel ſi quod impedimentum intercedat, immediatè ſubſequentibus diebus inſtituenda cenſetur; aliàs, eâ omiſsâ, aut etiam peractâ, & Judici Nobilium, cui Pecora reſignantur, haud notificatâ, ille cujus ſunt Pecora, non aliam, quam literatoriam Cautionem præſtare tenetur; ſi verò damnum illatum, & æſtima-

æſtimatum conſtiterit, & æſtimatio debito tempore corrigi; & realis Cautio deſignari poteſt; hinc de juſto, & recto ordine, abigens, realem Cautionem habere cupiens, damni æſtimationem, Judici, cui Pecora reſignantur, vel ei, cujus ſunt Pecora, debet notificare. Reali autem Cautione, in qualicunque æquivalenti ſpecie, vel etiam ex abactis Pecoribus præſtitâ, cùm eadem Lex, de abactis Pecoribus ſonans, utcunque terminos Quindenæ repeteret, hic loci quoque, idem terminus Quindenæ, ad realem Cautionem, vel per eam præſtantem, paratis exſolvendam; vel verò per damnificatum apprehendendam, intelligendus videretur.

# QUÆSTIO XXI.

*Si Pecora manibus judiciariis, abſque omni æſtimati damni notificatione reſignata, ille, ad quem ſpectant, erga ſcriptam Cautionem rehabere vellet, Judéxque abigenti dimittenda Pecora inſinuaret: abigens autem dum primo Judicem certiorat, quod nimirum damni, & expenſarum refuſionem habere, nec aliàs Pecora dimittere vellet, damnúmque prætenſum nec eotum ſpecificat: Aut ſi ſit, locus in controverſiam ſumptus, abigens verò pro prætenſivo Poſſeſſorio ſuo legitimando, damni refuſionem prætendit, quid eotum Pecora rehabere volenti faciendum?*

 Per

PEr abigentem petita realis Cautio, & quidem abſque damni æſtimati ſpecificatione, primò eotum, dum Judex Pecora pro reſignatis acceptata dimittenda inſinuat, indirectè, imò & ſerotinè deſiderari videtur, quæ eò magis culpabilis eſſet, quòd fors nec damni æſtimatione peracta Pecora numeroſa, illatum damnum, longè ſuperantia, abigens detineret, ubi vel unicum Pecus pro prætenſo damno ſufficeret. Cujus damni illatio, & refuſio, dandáque realis Cautio, aliàs intelligi non poſſet, quàm *ſecundùm præcitatum Articulum* 42. reſpectu Terreni, ſeu loci, & fundi, per abigentem indiſputabiliter poſſeſſi, ac ſi etiam illegaliter abactio eveniat, ille, cujus ſunt pecora, Cautionem realem præſtet; eámque reſervatam interponat, propter diſpoſitionem Legis, eundem realem Cautionem ita præſtare, ne, per ejuſmodi præſtationem, quidpiam præjudicii eidem eveniat; deſupérque à Judice Teſtimoniales extrahat: Quæ reſervata, præſertim in Territorialibus, etiam occaſione ſcriptæ Cautionis, interponenda, non obeſſet: Pars enim abigens, in præmiſſis culpabilis, pro caſuum diverſitate, etiam Marcarum Birſagium, evitare non poſſet.

CAPUT

# CAPUT VIII.

*Summarium.*

De Prohibitis, & Mulctis, circa Vineas, Hortos, Prata, Paſcua, Sylvas, dictandis, & promulgandis.

## QUÆSTIO I.

*Quæ, & quales Prohibitæ, ſeu Inhibitiones, cum, vel ſinè mulctæ ſpecificatione, dictari, & publicare ſolent?*

QUamvis ſecundùm contenta vetuſtiorum Legum, dum Perſonis Militaribus, Paſcua, quaſi promiſcuè admittebantur, expreſsô Legis edictô, ejusmodi militares, *per Anni* 1578. *Articulum* 14. prohibebantur, ne alienos equos, ſub eorum amiſſione, eò inducant, & admittant, demum *per Anni* 1566. *Articulum* 20. & 1587. 22. ſub pœna florenorum mille, militares, ex pratis, & paſcuis, tempore ibidem deſtinato, recedere cogebantur; ac prætereà, exceſſus, ex occaſione ejusmodi paſcuorum, patrari ſoliti, *per Anni* 1608. *Articulum* 2. 1647. 43. 1655. 57, 59. *ac Anni* 1659. 98. partim prohibebantur, partim per totum tollebantur; non ſecùs & armentorum, ac pecorum ex alienis

Prædiis, abactiones, vigore *Anni* 1647. *Articuli* 142. ſub pœna violentiarum, cavebantur, ſed quia hæc per ſpeciales conſtitutiones, ad expreſſos Caſus ſpectantes, præter quandam paritatem, aliena invadere vetantem, applicari non poſſent, hinc ad Locorum particularium Uſum, & Conſvetudinem, condeſcendendum veniret, videlicèt ferè in ſingulis Comitatibus, Prohibitæ, pro Locorum diverſitate obſervantur, in aliis Locis generaliter, ne quis in vineis, hortis, ſepibus, ſegetibus, pratis, paſcuis, ſylvis &c. Damna inferat, vel etiam, ne certis temporibus, dum occaſio damni inferendi haud abeſſet, quin imò plerumque aliàs etiam, ibidem nihil adagendum habentes, tales fundos intrent, aut ſepimenta, & cincturas deſtruant, aliàs, in deprehenſos animadvertetur, contra quos, in aliis Locis, non niſi ſub animadverſione generalitèr intellecta, in aliis, ſive ex aliquo compromiſſo, ſive ſtatuto, ſive etiam edicto, per eos, quibus competit, dictando, quod idem, cum ſtatuto facere videretur, hujusmodi Prohibitæ indicuntur, & publicantur, principaliter domeſticos, obligantes, cujus Prohibitæ, ſeu inhibitionis fit mentio, in Lege *Partis* 3. *Titulo* 33. Neceſſarium tamen eſt, ut Loca, vel maximè à tranſitu prohabita, Præcluſuram, aut quodcunque ſignum præcluſuræ habeant, ſegetes

getes ſi quidem per ſe à tranſitu Prohibitam denotant; aſt, ſi tranſitus ſupereſt, ille eô modô prohibendus veniret; verùm Paſcuorum prohibitæ, in loco publicantur, & quandoque in his etiam, ſigna inhibitionis ponuntur.

# QUÆSTIO II.

*Si præmiſſa, de non inferendo in Territorio damno, principaliter pro domeſticis publicantur, an illa, etiam extraneorum obligativa eſſet?*

QUantum ad extraneos, illi vel in proximitate, vicini, & commetanei, vel verò remotiores, aut tranſeuntes, & itinerantes eſſent; quantum ad ipſos commetaneos, præſertim circa Paſcua, paſſim vernali tempore, ejuſmodi inhibitiones, ſive cum, ſive ſinè alicujus mulctæ ſpecificatione, iisdem notificantur, & ſimilia pro & contra, inter commetaneos obſervantur, ac illorum, & talium obligativa eſſe viderentur; quantum ad extraneos remotiores, vel itinerantes, ſiquidem & leges, & Jura vicinitatis, proximo damnum inferendum vetarent, illi, & tales, vel per Caſum, vel ſtudiô damna inferunt; ſi per Caſum, aut etiam, per modicam pecorum refectionem, damnum quodpiam inferant, ad ejusdem compenſationem obligantur, & quandoque pro exceſſu taxantur;

xantur; ſi autem extranei, & ſignanter commetanei, ſpontè, modò violentô, aliena Bona, & Jura cum notabili paſcuorum diminutione, invadant, non inconvenienter, pœnæ violentiæ ſubjacerent, & ne quô pactô metalis controverſia exurgat, abſque longiori mora, commetanei violenta invaſio vindicanda eſſet, ab Edicti ſi quidem mulcta, extraneos ignorantia excuſat; interim tamen, ſi tales remotiores, vel maximè itinerantes armentarii, abſque inſinuatione, talia damna inferant, à potiori extraordinariè taxantur, aliàs ordinarios denarios duos exſolvere ſolerent. Quæ ſive edicta, ſive ſtatuta per quos condi, & pœnæ dictari poſſint, quoſve obligatos reddant, in Legibus *pro logiali Titulo 8. Partis 2. Titulo 3. & 5. ac Partis 3. Titulo 2.* uberiùs deſcribitur.

# QUÆSTIO III.

## *Per quos in ſimilibus mulcta dictatur?*

CUm vel maximè ipſis Incolis cõſtet, quales exceſſus, in gremio Loci perpetrentur, plerumque iidem, pro ratione Caſuum, & exceſſuum, ejusmodi mulctas, communi, vel potiorum conſenſu, ad inveniunt, & publicant, quandoque etiam per Dominos Terreſtres ratificatas, nonnunquam autem, præſertim diſordine, in loco obſervatô, etiam ipſi Domini Terreſtres, per ſe ejusmodi mulctas

ctas dictarent, & publicari facerent, & hæc quoad ignobiles. Quod autem Nobiles attinet, ſi ipſimet etiam, in hujusmodi mulctas, per ſe, vel cum ignobilibus (ſi tales quoque adſint) obſervandas, conſenſum præbent, eorundem par ratio haberi debet, ſin minùs, Legibus Patriæ ligati, pœnis, contra exceſſuoſos denotatis ſubjacebunt.

# QUÆSTIO IV.

*Siquidem, ſive per Incolas Loci, ſive per Dominos Terreſtres mulctæ dictarentur, & publicarentur; an talismodi mulctas, per totum, pro arbitrio dictare liceret?*

QUantum ad mulctas, & earum qualitatem, ſicut Regnum à Proportione Caſuum, pœnas moderatur, ita etiam Incolæ Locorum, ſeu Domini Terreſtres, à proportione exceſſuū, quoad majorem, & minorem exceſſum, temperare deberent, ut nimirū, ſi exceſſus mulctam denariorum 25. denariorū 50. floreni unius, & ſic conſequenter mereatur; interim pro hujusmodi levioribus Caſibus, & exceſſibus quoque mulcta florenorum 12. florenorum 20. Ruſticorum medii Homagii, aut eorum integri Homagii publicaretur, & præſertim, ſi etiam ad Caſus fortuitos, & incurios applicaretur, eorum talismodi exceſſivas mulctas, ex Legali paritate *Anni* 1635. *Articuli* 18. illegalia ſtatuta vetantis, ſive Dominus

minus Terreſtris, ſive etiam ex ratione boni Publici, & conſervationis Incolarum, Comitatenſis Magiſtratus ea tollere, & pro ratione æquitatis attemperare, ac limitare poſſe cenſeretur.

## QUÆSTIO V.

*Si quis in paſcuis, Segetibus, ſub amiſſione Pecorum prohibitis, deprehenditur, an amittat Pecora?*

PRohibitionem exceſſivam dictari, & indici non poſſe, jam ſuperiùs appoſitum eſt; hinc etiam reſpectu domeſticorum, unde de facili Incolarum ruina evenire poſſet, propter rationem boni Publici, privato Lucro præponendi, & ex vi Legis *Anni* 1715. *Articuli* 101. conſervationem ſubditorum Comitatui injungentis, mulctæ exceſſivæ ſubſiſtere non poſſent, cùm & aliàs, & Coincolæ, & Domini Terreſtres non deeſſent, qui diverſis ſub Titulis, miſeros Incolas, & reſpectivè Coincolas enervare, & exſurgere ſolerent, contra quos præcitata Lex, ac etiam *Anni* 1550. *Articulus* 39. Vana Judicia Dominorum Terreſtrium prohibens, condi debeant, quo in Caſu pro remedio conſequendo, ſi coloni in mulctis excedant, & unius Domini Terreſtris ſint, ille; alias Comitatus ejusmodi mulctas, ad ruinam, & deſolationem Incolarum directas,

ctas, pro æquitate, & Juſtitia, modificare poſſe exiſtimatur.

# QUÆSTIO VI.

*Sed ſi ipſi Incolæ, in ejusmodi exceſſivam mulctam conſentiant, iidem de quopiam gravamine ſibi illato querulari non poſſent?*

QUantum ad Incolas Loci, cognitum illud eſſet, ferè ubique, aliquos in Magiſtratu præpotentiores, & non minùs, quam Dictatores eſſe, ita, ut illi, poſſibile quidem eſt, ex Zelo boni Publici, tam graves pœnas dictare, ſed & id poſſibile eſſet, ut illas ex paſſione, erga unum, aut alium, quem facile involvendum eſſe exiſtimant, directas habeant, easque ex aliis rigorosè deſumendas, ex ſuis autem, per quaſcunque, directas, ſeu indirectas modalitates, ſeu temperandas, ſeu amovendas confidant; & præterea in talibus Locis, alii non tam libenter, quàm reverenter, in talismodi mulctas conſentiant, alii, ſi etiam eas difficultent, & impugnent, non multum curantur, alii verò ex ſimplicitate, vel ex ignorantia circumſtantiarum, circumventionis, & conſequentiarum, ſi etiam non difficultent, attamen unanimi conſenſu, in tales pœnas, Incolas Loci ſimpliciter conſenſiſſe, aut ſpontè, & unanimiter, ea concluſiſſe, dici vix poſſet, conſe-

conſequenter, taliter acta, & facta, ſuperiorum diſquiſitionem, & moderationem, de jure, & Juſtitia reciperent: in civilibus ſiquidem, hujuſmodi nimiæ pœnæ à potiori, ad aliorum ruinam directos fines habere viderentur: Hinc ex Legis, & æquitatis ratione, hujuſmodi exceſſuosæ pœnæ, ſive per Dominos Terreſtres, ſive iis remotioribus, etiam Comitatenſem Magiſtratum, attemperari, & modificari poſſe exiſtimaretur.

# QUÆSTIO VII.

***Hujusmodi pœnæ, & mulctæ, in ipſis Locis dictatæ, & deſumptæ, in quas, & quales neceſſitates deſtinari ſolerent, & deberent?***

QUamvis hujusmodi mulctæ non niſi aliquantum notabiliores Caſus, & exceſſus tangere videantur, & ex ſimilibus, ſecundùm Locorum diverſitatem pro publica neceſſitate, in aliquibus autem pro fatigio Magiſtratualium loci, reſpectivè pro publico, & pro Domino Terreſtri, quandoque etiam pro Eccleſia, quidpiam deputatur, ſed in plerisque Locis, hujusmodi Mulctas, ſive Magiſtratus Loci ſolus, ſive cum Cuſtodibus, abſque omni boni Publici commodo, & ſublevatione inaniter conſumit, hacque ratione, ipſis Incolis Magiſtratualibus, (qui aliàs bona, ſobria, & exemplari vita, præeſſe debe-

rent) cum boni publici jactura, & aliorum ſcandalo, ad malè agendum, & ſuos exceſſus continuandum, media procurantur; hinc conveniens eſſet, quò ſimilibus, illi, quorum intereſt, invigilarent, ita, ut ex talibus mulctis, aliquod exiguum pro ipſis Judicibus, aut Cuſtodibus, reſiduum, pro publicis neceſſitatibus Loci, converteretur: & in Notabilioribus exceſſibus, de juſto, pro majori refrænatione, majorem mulctam merentibus, ipſi Domini Terreſtres quoque participarent, vel verò, cùm nonnulli, præſertim benè habentes, pœnas pecuniarias non ſentiant, tales potiùs, ad aliorum Exemplum in corpore luerēt.

# QUÆSTIO VIII.

## *Tales mulctæ præter, & ultra Damnum, per quos deſumuntur?*

CUm diſtincta ratio ſit damnorum, & mulctarum ſed nec per mulctam privati damnum perimi poſſet, primum itaque & ante omnia, Damnificato ſatisfactio præſtanda eſſet, & tandem ipſa mulcta deſumenda, aut Caſtigatio excedenti adhibenda veniret: In quibus quantum ad ignobiles, ſeu domeſticos, rurali magiſtratui, ſeu ipſi Domino Terreſtri ſubjectos, hujusmodi mulctæ deſumptio, ſeu executio iisdem incumberet; ubi autem inter Nobiles, in tales mulctas deſumendas con-

 ſentientes,

ſentientes, res agitaretur, ſi in Loco, nobilitaris magiſtratus adeſſet, per illum; illo autem remiſſiori, aut nullo exiſtente, per Judicem Nobilium ejusmodi mulctæ deſumi valerent.

# QUÆSTIO IX.

*Siquidem ex ratione Tituli 33. Partis 3. in locum mulctæ, in decorticatione deprehenſi, pecora, & res penes ſe habitas amittant, an tales etiam aliam mulctam ſubire deberent?*

SIquidem eadem Lex ſat oneroſam mulctam dictaret, in hujusmodi Caſu, niſi Incolæ aliud ſibi ſtatuerent, alia mulcta non videretur habere locum, verùm tamen inter diverſos Compoſſeſſores, pœna violentiæ, per hujusmodi Pecorum, & aliarum rerum amiſſionem, non excluderetur.

# QUÆSTIO X.

*Mediô cujus Judicis, hujusmodi rerum, & pecorum amiſſio judicatur, & conſequitur?*

EXſtat Lex *Anni* 1715. *Articulus* 94. pro ejusmodi Cauſa decorticationis, & ſuciſionis, ſylvarum, Judicem Vice Comitem denominans, quia autem, in omni Cauſa, obſervatis obſervandis, procedendum eſſet, præmiſſo in Caſu quoque, actione cum expreſ-

expreſſione ſpecifica facti, loci, temporis, & Perſonæ, formata, & petitione Legali ſubnexa, velut in aliis Cauſis, & Caſibus, ita etiam in ſimilibus, Judex cum Termini præfixione procedere debet.

# QUÆSTIO XI.

*An abigens talismodi Pecora, & res, usque ad reviſionem detinere poſſit?*

JAm alibi annotatum eſt ex fundamento Legis de abactionibus univerſaliter ſonantis, qualitercunque, & undecunque, pecora abacta, detineri ultra triduum non poſſe, ſed ad manus Judiciarias reſignanda venire, tum ex eo, quòd nemo ſibi Judex eſſet, cùm etiam, quia tales abactiones, quandoque malitioſè, & cum aliorum injuria, intentantur, neceſſarióque pro cognoſcenda rei veritate, Judex requiritur; ſed & in reſignatis pecoribus, per fidejuſſionales, de talium rerum conſervatione, providetur; ac denique, quia Lex, id ipſum faciendum dictat, ex eoque Lex, & ſecundùm illam curſus Juris, & Juſtitiæ adminiſtrandæ, obſervandus eſſet.

# QUÆSTIO XII.

*Si Quis Metales Cumulos disjecerit, aut Lignum Metale ſucciderit; an in tali exceſſu deprehenſus non niſi res penes ſe habitas amittat?*

LIcèt quidem in Civili Jure, contra Metalium ſignorum demolitores, & ſublatores graviſſimæ dictentur pœnæ, ſed quia in Patrio Jure, contra tales nulla ſpecialis pœna exprimitur, ideo ſucciſſores talium Lignorum, ex ratione Generalis Legis, amiſſionem Pecorum, & rerum, de reliquo, hi, & metarum disjectores, pœnam quoque violentiæ incurrunt.

# QUÆSTIO XIII.

*Si in Proceſſu decorticationis Sylvarum, aut Caſu efficiendæ Controverſiæ, pecora amittantur, an præter pecorum amiſſionem, etiam damna & expensæ refundenda venirent?*

EX Combinatione *Tituli 33. Partis 3. & Anni 1729. Articuli 42. nec non* Legum de violentiis ſonantium, in quibuscunque Cauſis, & Caſibus, diſtinguuntur mulctæ Birſagiales, ut eſſent Marcæ, transgreſſio edicti Legis, in Caſibus Lege expreſſis, pecorum amiſſio, prout & obactus temerarios, pœna violentiæ, quæ omnia à Damno illato diſtincta eſſent, adeoque amiſſione pecorum, pœna transgreſſæ

greſſæ Legis in ſuo eſſe permanente, damni refuſio bonificanda veniret, quin imô, cum jam expenſarum quoque refuſio, in cauſis exceſſuum, & violentiarum, in Comitatibus adjudicari ſoleret, in hac parte quoque, Jure merito expensæ refundendæ venirent aliàs in notabilioribus damnorum illationibus, & ſumptuoſorum Proceſſuum, diverſis ambagibus, pars læſa, niſi Damni, & expenſarum refuſionem obtineret, eadem ratione potiùs damnificationem, & quasi pœnalem proſecutionem ſibi procurare videretur.

## QUÆSTIO XIV.

*An propter Caſum decorticationis, in Caſu impulſionis pecorum, ad Paſcua, eadem amittantur?*

JAm alibi annotatum habetur, ſecundùm contenta Legis *Anni* 1729. *Articuli* 42. videntur amitti pecora, etiam ex paſcuis abacta, ſi ad efficiendam controverſiam, contra inhibitionem Judiciariam, eo impellantur, ex cujus Legis contextu, colligere licet, hunc Caſum emergere, ex temeraria, contra Judiciariam inhibitionem, pecorum impulſione, qua ratione periculoſiſſimæ, eæquæ ſumptuoſæ efficiuntur Controverſiæ.

# QUÆSTIO XV.

*Sed quia nonnunquam Commetanei Aſtutia utentes, quem Locum in controverſiam ſumere vellent, ab ejusmodi Uſu vicinum inhiberent, qui, ſi ab uſu ſuperſederit, paratum controverſiæ locum habebit, ſi non ſuperſederit, periculum Litis, & pecorum amittendorum pœnam experietur?*

Circa hanc quæſtionem, expediens fore videretur, ut poſſeſſor jure ſuo, quod habuit, utatur, & inquietum commetaneum pariter, ſecundum præſcriptum præcitatæ Legis *Anni* 1729. *Articuli* 42. inhibeat, ac ſi à violenta invaſione, non deſiſteret, peracta, vel de unius Anni pacifica poſſeſſione, Inquiſitione, eundem juris via aggrediatur: non ſufficit etenim ſimplex Inhabitatio, ſi non poſſit præcedaneus, vel unius Anni pacificus Uſus comprobari, aliàs, infinitas confuſiones evenire oporteret; & hinc caveant omnimodè commetanei, ne limitaneo, præſertim inquieto poſſeſſori, quôquô modô, vel annuum uſum admittant.

# CAPUT IX.

*Summarium.*

De marcarum, ob omiſſam abactorum pecorum, ad manus Judiciarias reſignationem, in Curſu, & deſumptione, jam in præmiſſis quoque, pro caſuum diverſitate attacta.

## QUÆSTIO I.

*In quibus Caſibus abigens pœnam marcarum exolvendarum incurrit?*

EX præſcripto Legis *Partis* 3. *Tituli* 33. & *Anni* 1729. *Articuli* 42. Siquidem abacta pecora, manibus Judiciariis reſignanda eſſent unde contrà dictamen præcitatarum Legum, talismodi Pecora ultra triduum detinentes, Birſagium marcale, propter contemptum Judiciariæ diſpoſitionis, & illegitimè vendicatum ſibi Jus detentionis, incurrunt.

## QUÆSTIO II.

*Marca gravis Ponderis, quod florenos facit?*

IN detentione pecorum abactorum gravis ponderis marcæ deſumuntur, quæ *dictante Partis* 2. *Titulo* 28. faciunt florenos 4. Le-

vis ponderis marca, *tenore ejuſdem Partis 2. Tituli* 82. facit florenum 1.

## QUÆSTIO III.

### *An reſpectu ſinguli Pecoris, velværo ſingulorum abigentium in ſingulos dies, marcæ computandæ?*

QUantum ad ejuſmodi marcale Birſagium in Lege *Anni* 1729. *Articulo* 42. expreſsè denotatur de omnium pecorum detentione, ſimul ac declaratur, quod in caſu invagiationis, per Communitatem Nobilium, vel ignobilium, ipſe marcæ, collectivè; ſi autem per Nobiles, vel ſubditos abigantur, eorum, quoad Nobiles ſingilatim, quo verô ad ſubditos, reſpectu ſinguli Domini Terreſtris diviſi, ſeparatim; non ſecus ſi pecora, vel ſubditi, quorum pecora fuerunt, pluriumDominorum Terreſtrium, æque in Bonis, diviſorum erant, reſpectu ſinguli Terreſtris Domini, ſemper tamen reſpectu Pecorum, collectivè non autem ſinguli Pecoris non reſignati intelligendi, iidem pœnis marcalibus ſubjacerent.

QUÆ-

# QUÆSTIO IV.

*Quandoquidem præcitatus* Articulus 42. *refundendi damni, ex intermiſſa, vel pleno numero, non facta pecorum reſignatione, aut neglecta eorum cura, ſeu proviſione, emergentis, Cauſatorumque ſumptuum, meminit; an reſpectu talium aliquot pecorum detentorum, & non reſignatorum, aut ne fors, ſive mactatorum, ſive venditorum, præter marcas, damnum quoque, quoad omnes Proventus, quaſi in natura pecora exſtarent, compenſari debeat?*

INveſtigato, & combinatio ejusdem Legis contextu, diverſi Paragraphi loquerentur, de pœna marcarum, diverſi item de compenſatione Damnorum, unde, cum diſtincta ſit ratio damnorum, ob non reſignationem, & per detentionem, illatorum; ex eo, velut marcarum deſumptio, non excluderet, rehabitionem abactorum pecorum, quæ etiamſi expoſt, quôquômodô recipiantur, per hoc tamen illæ deſumuntur; ita etiam damnum, qualitercunque procuratum, marcali deſumptione non aboletur.

## QUÆSTIO V.

*Quia autem Lex, reſpectu communitatis, & reſpectu Dominorum Terreſtrium, quoad plura pecora, in ſimul intellecta, incurſum marcarum, in concreto intelligeret; quid ſi ex ejusmodi pecoribus, reſpectu quorum plurium, unius ordinis marcæ deſumendæ eſſent, nonnulla reſignarentur, alia autem detinerentur, an reſpectu talium nonnullorum detentorum, Marcarum Birſagium, complete exolvendum, detinens incurrat?*

HIc Loci quoque, Legis contextu inveſtigato, deprehenditur ipſam Legem, ſubdiviſionis, & ſeparatæ conditionis, ſeu diſtinctionis, ſeparatique Juris, rationem habere, unde abigens, ſi eandem ſortem abactorum Pecorum obſervaſſet, & omnia manibus Judiciariis reſignaſſet, Birſagium Legale, ſecundum Contextum Legis non incurriſſet, verum, quia eidem, id, quod in commumi, & concreto reſignari debuiſſet, ſubdividere, & ſequeſtrare viſum fuiſſet, ex eadem Legis convertibilitate, reſpectu detentorum pecorum, ad diſtinctos, ſeu diviſos Dominos terreſtres, eorumque ſubditos, ſpectantium, de pleno, & integro, marcas, quæ aliàs etiam, diſtinctionem ad majus, vel minus, non paterentur, jure merito ſubiret: Nam, velut in Actibus minoris potentiæ, pœna violentiæ, ſeu Majorem, ſive minorem

norem violentiam, quis committat, pœna partiri non ſolet. Ita etiam hoc in Caſu, ſi quæ peçora detineantur, marcæ reſpectu horum partiri non poſſent; verum tamen, ſi ſint etiam plura, ex grege, per communitatem abacto, detenta, illa unius ordinis marcas, & ſic conſequentèr, ex quacunque ſpecie, in lege denotata, ſive pauciora, ſive plura pecora retinerentur, pœnam marcarum Legalem, ſecundum ibidem denotatos Caſus dictatam, detinentes ſubire deberent.

# QUÆSTIO VI.

*Secundum præcitatam Legem*, Articuli 42. *Birſagium marcale, ultra Quindenam, ob detenta pecora, non incurrit, ſi tamen Judicialiter ad pecora reſignanda, admonetur, pro toto tempore detentionis, Marcæ Birſagiales deſumendæ venirent; jam autem, ut paſſim fit, ſi ex glandinatione ſetigeri abigantur, & aliquot in abigentium neceſſitates convertantur, ac tandem ad eos, manibus Judiciariis reſignandos, admoneantur, illique, velut non extantes, & reſignari non valentes, eo modo detinerentur; an ejusmodi Marcarum Birſagia, pro toto illo tempore, ne fors in annos extendendo deſumenda venirent?*

Licèt quidem ex ſtricto ſenſu, & intellectu Legis, *Partis* 3. *Tituli* 33, hujuſmodi Marcale

cale Birſagium, pro toto non reſignationis tempore, intelligendum, videretur. Quia tamen hac ratione, eadem illegalitas, & inconvenientia, de facili evenire poſſet, quæ ante novellam Legem obſervabatur, ita, ut marcæ, ad millia, & millia exurgere, abigentemque plerumque ſui periculi ignarum, ad incitas redigere potuerint, videretur proindè hoc intelligendum, ſi pecora in natura exiſtant, illa taliter, aliàs, ſi vel conſumpta, vel realitèr in pretium conversa ſint, pretium pecorum reſignandum eſſe, priusquam marcarum cumulandarum moles, diſputationi, & Judicis deciſioni, ſubmitti deberet, cum & alias, ſi ipſe damnum paſſus, pecorum commodum, & damnum procuratum, computaverit, hac ratione utique ſatis oneris abigens perſentiret, & hoc quidem damnum, non reſpectu Intereſſe pretii pecorum, ſed ipſius uſus fructus, quem à pecoribus in natura exiſtentibus, ipſe hoſpes ſeu Dominus Pecorum habere potuiſſet, compenſandum.

QUÆ-

# QUÆSTIO VII.

*Si itaque pecora, non niſi in natura exiſtentia, manibus Judiciariis aſſignanda eſſent, hac ratione, etiam intra Quindenam conſumpta, vel vendita, ultra tempus in natura factæ detentionis, Birſagium ſecum ferre non poſſent?*

PRopter Legis diſpoſitionem, ſi pecora, intra triduum non reſignentur, intra unam Quindenam, quidcunque abigens cum pecoribus interea temporis agat, marcas Birſagiales, refundendorumque refuſionem evitare non poſſet, ſi proinde graviora onera vitare voluerit, ſive in natura, ſive in pretio, pecora Judici Nobilium quantocius reſignare intendat.

# QUÆSTIO VIII.

*Si ſecundum ſtrictiorem ſenſum, & intellectum* Anni 1729. Articuli 42. *poſt admonitionem periculum eſſet marcarum cumulandarum, tum ob Legis diſpoſitionem, tum etiam Judiciarium contemptum, ſive exſtent pecora in natura, ſive non, quid remedii pro iisdem vitandis, ſupereſſet?*

EX quo inter Judices quoque, variorum variæ eſſent opiniones, imô etiem in altioribus foris, quis ſcit, pluralitas votorum, quale ſentimentum ſecum ferret; hinc, priuſquam abigens periculo ſemet exponere deberet,

beret, poſt admonitionem, taliſmodi Pecora ſi in natura exſtarent, taliter reſignet, ſin minùs, eorundem pecorum pretium habeat pro reſignato; Et quamvis hac ratione quoque, non reſignando Pecora in natura, plenam ſecuritatem vix habere poſſet; aſt per talem qualem reſignationem, utcunque Titulum evitandarum marcarum Birſagialium haberet, nemo etenim, tam protervus eſſe ſupponitur, ut cum evidenti periculo, per pecorum detentionem, ad infinitum marcas cumulatas habere vellet; ut autem quæſtionibus finis imponi poſſit, id quoque non videretur eſſe inconveniens, ut abigens, ſeu de damnis illatis, pecorumque commodo ſeu incommodo cognoſcendo, ſeu etiam legitima, vel illegitima ſive reſignatione, ſive detentione dignoſcenda, contra aliam Partem ageret, hacque ratione, pecorum factæ detentionis, finem imponeret; Quamquam hujusmodi, de detentione aſſumenda Quæſtio, ſi Pars adverſa reſpondere renueret, eaque in judicio diſquireretur, non poſtremas pateretur difficultates; pars etenim altera injuriata, hac in parte ad reſpondendum adigi vix poſſet.

QUÆ-

# QUÆSTIO IX.

*Si reſignatio juſti pretii pecorum fieret, an illud manibus Judiciariis reſignandum, vel pro reſignato habendum veniret, & quale illud juſtum pretium?*

CUm ex Legis Diſpoſitione, pecora pro reſignatis haberi poſſint, quamquam eorundem vel curæ, & intertentionis Judici plerumque onerosæ, longè diverſa eſſet ratio; videretur tamen, talismodi pretium, non inconvenienter apud abigentem remanere poſſe, priusquam pecunia, facilè conſumptibilis, apud Judicem, aliquod periculum ſubire deberet, nisi fortè ille, cujus pecora abacta fuerant, cum Cautione, talismodi pecuniam habere vellet, quam omnino, per manus Judiciarias recipere deberet; unde ſi etiam non ad æquatum, ſi tamen tolerabile pretium eſſet, parsque adversa, propter pecora, in natura, vel adæquato pretio, adeoque diſputabili non reſignata, marcas deſum re vellet, per hoc pars abigens, Legi quodammodo ſatisfacere cupiens, (dummodo fraus abſit) marcis gravari haud poſſe videretur.

QUÆ-

# QUÆSTIO X.

*Si ejusmodi abacta pecora, ſive vendantur, ſive conſumantur, qualiter juſtum eorundem prætium, reſciri poteſt?*

QUamquam pro tali quali informatione, præſtaret, ſi abigens, per fide dignas, & quidem juratas perſonas, talium, abactorum Pecorum æſtimationem, fieri curaret; interim tamen, reſpectu ejus, cujus fuerunt pecora, qualitercunque æſtimatio inſtituatur, vel ex eo diſputabilis eſſet, illa, quia ad actum illicitum applicaretur; tum ex eo, quod inſcio hoſpite, & ad talem æſtimationem, nullatenùs adeſſe debente, peracta æſtimatio ſuſpecta eſſet, cum etiam, quia præſertim jugalia, apud œconomos, in impenſo labore, ſolertia, ex alacritate, & durabilitate, ſetigeri autem ex impinguatione, & commodiori divenditione æſtimarentur, adeoque quacunque ratione æſtimata fuerint, ille, à quo abacta ſunt, completam ſuæ neceſſitatis, çum damnorum perpeſſorum compenſatione, ſatisfactionem habere deberet.

QUÆ-

# QUÆSTIO XI.

*Si Judex Loci, pro damno illato, Damnificato, pecus reſignaret, aut intra triduum, aliqua, ex abactis pecoribus, creparent; an eo in Caſu, ob omiſſam omnium pecorum reſignationem, marcarum Birſagium, aut etiam damni refuſio, currere deberet?*

Licèt quidem in poteſtate Judicis, præſertim ruralis, nullatenùs eſſet, per reſignationem pecoris, refuſionem damni adjuſtare, ſi tamen bona fide, absque dolo, fraude, & partis alterius damnificandi ſtudio, id fieret, nec alter modus damni compenſandi ſupereſſet, vix deſumi poſſet marcarum Birſagium; ſi tamen in præmiſſis, malitia deprehenderetur, adæquata refuſio, ac etiam Birſagialis marcarum mulcta, pro prudentis Judicis cognitione, & Judicio, deſumenda cenſeretur; ſi autem pecora ante tempus reſignationis crepent, dummodo abſit poſitiva incuria, refuſio damni multô magis autem Birſagiales Marcæ ceſſant; verum ſi craſſa incuria intercedat, compenſatio damni ſequeretur, in ſimilique craſſæ incuriæ Caſu, Birſagium Marcarum deſumendum, à prudentis Judicis deciſione, pendere videretur; & quamvis, ipſe Judex Loci, ſub tali quali formalitate, & authoritate Judiciaria,

tale pecus, in refuſionem damni, aſſignare poſſe videretur: quia tamen factum à Judice, quod ad ejus officium, non ſpectat, ratum non eſſet, quamvis ille damnum æſtimare poſſet, pecoribus tamen aliam conſiderationem legis recipientibus, ex illis, præſertim ruralis Judex, aliquid diſtrahendi, nullatenus facultatem haberet.

# QUÆSTIO XII.

*Si pecora poſt reſignationem, per abigentem quoquomodo, retenta, completè non reſtituantur; an pœna marcalis locum habeat?*

EX Lege novella, ſi pecora manibus Judiciariis reſignata, illi, cujus ſunt, erga Legalem cautionem, & Judicis inſinuationem, culpa abigentis, completè non reſtituatur, Birſagium nullatenus ceſſat, quin imo pecora abacta, ſi completè realiter non reſignantur, nec pro reſignatis habentur, damnificatus à primordio, omiſſæ totalis reſignationis, Marcas prætendere poſſet; verum, ſi abigens Tempus diſtractionis remonſtraret, ex æquitate, ab eo tempore, marcæ computandæ viderentur, pro quibus vitandis, ſi nimis oneroſa fuiſſet alimentatio, non inconvenienter, pecorum talium pretium reſignari poſſet, vel, ſi pecora, alias intertenere non poterant, quam alicujus divendi-

venditione, eo in caſu, neceſſitate alimentorum Judici Nobilium notificata, & erga eum, cujus fuerant pecora, ad ea intertenenda, præmonitione facta; ſi ille renueret, non inconvenienter, pro ejusmodi intertentione, conſcio Judice Nobilium, aliquod ex pecoribus divendi poſſet; quod tamen præſtat vitare, & ſi vendantur, pretium, ultra alimentorum neceſſitatem, manibus Judicis Nobilium reſignare, vel pro reſignato habere, quam periculoſo Judicis, & Judici arbitrio, ſemet, & ſua, potiſſimum in tam periculoſa marcarum cumulatione, ſubjicere, prout hæc in præmiſſis quoque attacta haberentur.

## QUÆSTIO XIII.

***Cum Lex novella, è manibus Judicis, pecora eximenda præſcribat; qualitèr illa, vel à Judice, vel è manibus abigentis rehabenda eſſent?***

QUamvis præſentaneè, & ſucceſſivè rehabendorum pecorum, modalitates, præſcindendo à proceſſu marcali, Proceſſum violentiæ, in præmiſſis declarantes ſupereſſent: verum, quia miſeri Incolæ, ſeu Jugalibus, ſeu lacticiniis deſtitui, ingens, & quaſi irrecuperabile damnum, per longam moram paterentur, ac alias etiam ipſa Lex, quaſi inſtantaneam poſt triduum, abactorum

Pecorum, receptionem admitteret, hinc miſerorum Incolarum ſublevans ratio, quo citius, quôquô modô rehabenda pecora, exigeret, ita, ut illi, in Caſu contrario, quadantenus, etiam per Birſagialium pœnarum Deſumptionem, compenſandorum compenſationem habere poſſent.

# CAPUT X.

*Summarium.*

## De Judicibus, & Proceſſu, in facto abactionis Pecorum, & marcarum deſumptionis obſervando.

## QUÆSTIO I.

*Quinam ſint Judices in facto abactionis Pecorum, & pecudum, abjudicationisque eorum, & deſumptionis marcarum, ac violentiarum?*

IN Caſu Succiſionis, & decorticationis ſylvarum, *ſecundum Anni* 1715. *Articulum* 94. Judex eſt Vice Comes: in Caſu vero incurſus Birſagii marcarum prout ex *Partis* 3. *Titulo* 33 & *Anni* 1729. *Articulo* 42. *ita*, & continua praxi conſtat, in deſumendis minoris conſiderationis marcis, Judex Nobilium quoque,

que, cum Juraſſore procedit; ſi tamen notabilem, authoritatem Judicis Nobilium excedentem, ſummam importarent, eotum ex Legali, in majoribus ſummis deſumendis, facultate, Judex Vice Comes, cum Judice Nobilium, & Juraſſore, eſſe cenſeretur. Intuitu autem violentiæ, ſecundum præcitatum *Articulum* 42. & ibidem citatum *Articulum* 127. *Anni* 1647. pariter Judex eſt Vice Comes, cum Judice Nobilium, & Juraſſore.

## QUÆSTIO II.

*An eodem contextu, ſi omnes Caſus, pro violentia, amſſione Pecorum, deſumptione marcarum, damni refuſione, conſequendis concurrant, per eundem Judicem, uno Proceſſu, procedi poſſit?*

INter Caſus præmiſſos, nonnullis cohærentibus, & eundem Judicem recipientibus; aliis autem ad diverſos Judices ſpectantibus, quoad modum agendi, & procedendi, diverſa ratio eſſe videretur; quandoquidem violentiarum, abjudicandorum Pecorum, & hos Caſus concomitantium damnorum, ac expenſarum, ſecundum præcitatas Leges Vice Comes eſſet Judex, marcarum autem deſumendarum, Judex Nobilium, quamquam in notabilioribus marcarum ſummis, autho-

ritatem, Judicis Nobilium excedentibus, convenienter etiam Vice Comes in deſumendis Marcis, vel ex eô procedere poſſet, ſiquidem pecora abacta, ad arbitrium abigentis, dummodo vexa abſit, vel ad manus Vice Comitis, vel vero Judicis Nobilum, reſignari valerent; ac præterea, cum violentia, ex actu violenter patrato, qui, per violentam pecorum impulſſionem, exurgit, & concomitanter Pecorum abactio, & damni illatio, ex rei diſquiſitione, legitimari deberent, jure merito, tamquam Actus violenti acceſſoria, & concomitantia, eodem contextu aquiruntur; marcæ autem, præſcindendo à prætenſo actu violento, pecorum impulſione, & damni illatione, ex contextu Legis, & Legalis diſpoſitionis, tanquam Birſagium exſurgerent, nec aliquam connexionem, cum actu violento haberent, cum pecora ſive legitimè, ſive illegitimè abacta, ſub pœna marcalis Birſagii, manibus Judiciariis aſſignari deberent, aliàs, ſive ſit proceſſus queruloſus, aut Impenſionis, vel abjudicandorum Pecorum, ſive non, tamen marcæ deſumi poſſunt; unde, ſicut pecorum abjudicatio, ita etiam marcarum deſumptio, diſtinctum Judicem habere poſſent.

QUÆ-

# QUÆSTIO III.

***Siquidem in præmiſſis diceretur, violentiam, Pecorum abjudicationem, & damni refuſionem, eodem contextu acquiri poſſe; ulterius queritur, an illa etiam diſtinctim, & ſeparatim, per diſtinctas actiones quæri poſſint?***

SI pars Actorea, vexandi Cauſa, tales diſtinctos Proceſſus proſequi vellet, quo in Cauſam attractum majoribus expenſis gravaret, attunc ex æquitate, vel tales Proceſſus conjungendi eſſent, vel vero expensæ, ita compendiandæ venirent, quaſi omnes Caſus, inſimul proſecuti fuiſſent, aut vero uno Proceſſu proſecuto, qui etiam reliquos Caſus recepiſſet, in reliquis diſtinguendis Caſibus expenſarum refuiſio prætendi vix poſſet, quandoquidem Lex *Anni* 1729. *Articulus* 42. *toties citatus* de abactione Pecorum ſonans, in ſimilibus Actibus, non niſi unius ordinis expenſarum meminiſſet; quod autem damna, præſcindendo à violentia, ſeparatim acquiri valerent, videretur ad hanc Queſtionem concurrere legalis paritas, ex *Uladislai Decreto* 7. *Articuli* 9. *Anni* 1542. *Articuli* 38. 1613. 23. & 1715. 28. Et quamvis, per damnorum deſideratam refuſionem, quandoque Quæſtio, de ipſo fundo, ſeu loco, ubi damnum infertur, ſubverſaretur, petitaque damni refuſi-

 one,

one, reſtitutio in integrum deſideratur, adeoque hac ratione, ſpoliatus, opitulantibus Legibus præcitatis, *Uladislai Decreti 7. Articulo 9. Anni 1542. Articulo 5. 1536. 53. 1638. 27.* etiam in integrum reſtitui poſſe cenſeretur. Si tamen de fundo, ubi damnum illatum fuiſſe prætenditur, quæſtio ſubverſetur, eotum pro ratione rei ſubſtratæ, Comitatenſium Judicum authoritas, obſervanda veniret.

# QUÆSTIO IV.

*Si Pars Actorea, & prætenſivè læſa, hujusmodi damna, reſtitutionemque ſui in integrum, acquirat, an etiam expoſt violentiam acquirere poſſit?*

Licèt quidem per abſolutum non videretur eſſe inconveniens, ſi ſeparato Proceſſu, prætensa violentia acquiratur, prout jam alibi quoque dictum eſſet; verum, quia hac ratione, pars Actorea, quadantenus aſtutia, & circumventione, uti videretur, dum per talismodi Proceſſum damnorum, & reſtitutionis ſui in integrum, quaſi viam, ad proſequendam, & obtinendam violentiam, ſternere, diverſasque, queruloſorum Proceſſuum, Juridicas Quæſtiones, Probas, & pœnales involutiones vitare vellet, adeoque, ſi etiam in tali, damnorum, & reſtitutionis ſui in integrum, actione, cautelam de acquirenda violentia poneret, attamen per talem Proceſſum

ceſſum damnorum, & reſtitutionis ſui in integrum, prætenſioni violentiæ renunciaſſe cenſeretur, tum ex eo, quia, ſi rem per alium violenter occupatam, prior Poſſeſſor reoccupaverit, eotum itidem via facti, ſibi ſatisfaciendo, à violento amplius violentiam prætendere non poſſet, quia violentiam itidem violenter revindicaſſet, & ſibi ſatisfeciſſet, ita etiam, qui per damni rehabitionem, & reſtitutionem ſui in integrum, avulſa, Jure obtineret, non habet amplius, de quo queruletur, & injuriam exponat, quandoquidem reſtitutus in integrum, & contentum habens, violentiæ renunciaſſet violentamque occupationem, non violento Proceſſu, verum reſtitutione ſui in integrum, & conſecuta damni refuſione, recuperaſſet, & ſe redintegratum reddidiſſet; cum etiam, quia in actione querulosa, reſtitutus in integrum, non amplius poteſt exponere, quod talem Terram, Pratum, & Sylvam, violentèr occupaſſet, & in præſentiarum teneret, quem fundum, jam pro priori reacquiſitum præ manibus haberet, quamquam de actu occupationis, qua tali conſiderato, à Judicis deciſione, Quæſtio dependeret; ſed tamen hac in Quæſtione, talismodi rei, ſeu fundi, ſive per viam, ſive per Judicium rehabitio, ipſum occupationis Actum violentum præſcindere, & tollere videretur.

QUÆ-

# QUÆSTIO V.

*An actio de admittentis Pecoribus inſtituta, perimat Actum violentum?*

SIquidem hujusmodi Proceſſus, amittendorum Pecorum occaſione, quandoque ipſum ſubſtratum, unde Pecora eſſent abacta, diſquiri deberet, ac eo ipſo, Pecorum abjudicandorum Actu, in illo fundo, unde Pecora abacta eſſent, poſſidendo abigens firmaretur, & ſi ambiguam Poſſeſſionem habuiſſet, probato vel annuo Uſu, in integrum Terreni illius reſtitueretur, quod Terrenum, ille, qui ſuccisionem ſylvæ aggreſſus eſt, violento modo ſibi vendicavit, ſeu furtim ibidem Damnum intulit, hinc, tum ex rationibus, in priori Quæſtione denotatis, cum etiam, quia Actor prætendens, per obtentam abactorum Pecorum adjudicationem Poſſeſſorii (de cujus violenta invaſione in Proceſſu violentiæ agendum eſſet) redintegrationem, & damni refuſionem excedenti notabile gravamen inferentia obtinendo; ab actu violentiæ, Cauſalitate ſui, jam deſtitutæ quadantenus receſſiſſet, ac ideo hoc in Caſu quoque Pœna violentiæ ceſſare videretur: Invaſionis tamen indiſputabilium prohibitiarum Sylvarum alia eſſet ratio quia tales Invaſores Lex ſæpe citata *Partis tertiæ Tituli* 33. etiam gravamini Pœnæ violentiæ ſubjicit.

QUÆ-

# QUÆSTIO VI.

*Ex quo* Anni 1729. Articulus 42. *præſertim in territorialibus, non niſi unius Anni Poſſeſſionem præ:equirat, contra quem Annuum Uſum, ſi quis talem Terram, ſeu Plagam aggrediatur violentus eſſet, Pars autem Actorea, obtenta violentia, ex comprobato Annuo Uſu, in Poſſeſſorio permaneret, in recentioribus porro Territoriorum occupationibus Anni 1647 Articulus* 127.*Partes, ad breves Proceſſus dirigeret, hic Loci autem, propter annuum ab adverſo probatum uſum proceſſus violentiæ, amplius haud ſupereſſet, metalis vero Proceſſus in recentioribus controverſiis. difficultèr admitteretur, quid proinde remedii, pro ſuccumbente, & Annuam Poſſeſſionem, quacunque ratione omittente, ſupereſſe poſſet?*

CIrca hanc Quæſtionem, ille idem *Articulus* 42. ad Calcem poneret, ad talem annuum usum tollendum, idem Terrenum, per annuum uſum, in alienam Poſſeſſionem deventum, Authore Judice, revindicandum eſſe, hinc colligitur, per annuam poſſeſſionem, nullatenus Jus alterius perimi, videturque pro injuriato duplex via ſupereſſe ita, ut, ſi probaturum ſe fideret, quod ante Annum via facti, ſit ejusmodi Terrenum occupatum, authore Judice Proceſſu brevium, via Juris, & non facti, quæ pœnalis eſſet, ejusmodi ſuum præcedaneum Uſum revindicaret,

dicaret, ſi autem in hujusmodi Proceſſu plures difficultates ſubverſari viderentur, eo in Caſu, via Juris Cauſarum metalium, nullatenus, excluderetur, tum ex eo, quia idem *Articulus* 127. præcitatus, pro illo tempore, ad actus, & Caſus illius temporis, recentes, & memorabiles, extendebatur, verum tamen, poſt decurſum jam unius ſæculi, ubi illi Caſus memoriam excederent, vel temporum circumſtantiæ, longe variarunt ejuſdem Legis diſpoſitionem; tum etiam, quia toties Citatus *Articulus* 127. non ſtringit Cauſantes, ut taliter procedere debeant, verum, ut procedere poſſint, ſed & Lex *Anni* 1715. *Articulus* 40. præſcindendo à recenti, vel vetuſta controverſia, *Anni* 1635. *Articulos* 19. & 20. pro renovatis habet, demum Lex *Articulus videlicet* 42. *ſæpe citatus Anni* 1729. poſitivè admittit, authore Judice inſtituendum Proceſſum, contra eum, qui annuam alicujus rei Poſſeſſionem habet proſequendam, Proceſſus autem alter, præter metalem vix ſupereſſet, ac denique, nec Legis, nec Juſtitiæ, & æquitatis eſſet, ut, ſi quis, pro tali quali annuo uſu edocendo, tales quales Teſtes habere poſſit, per hoc Pars altera, juſtis ſuis Juribus deſtitui debeat, alias aſtutiores vicini, & commetanei innumeras in volutiones, præjudicia, & damna inferre poſſent.

QUÆ-

## QUÆSTIO VII.

*Quis eſt Judex pecorum, & pecudum, vel aliarum rerum, ex controverſis Territoriis, abactorum, & ablatarum?*

JAm in præmiſſis dictum eſt, vigore *Anni* 1715. *Articuli* 94. in Decorticatione, & ſuccisione ſylvarum, Judicem eſſe Vice Comitem, ſi itaque ad violentiam procedatur, in querelis Judex eſt Vice Comes, ſi per Impenſiones, Dominus Terreſtris, unde ſive ad actum violentiæ, ſive ad refuſionem damni, Proceſſus inſtituatur, in ejusmodi metalibus, recurrit ſemper quæſtio añui Uſus, & conſequenter diſquiritur, an parti prætendenti, licita fuerit eorſum pecorum impulſio. Si etenim Pars impellens, habuit continuativum Uſum, cum Parte altera promiſcuum, circa res abvagiatas, vel abactas, nullum periculum habere poterit; verum ſi per abvagiantem, annuus pacificus, illique privatus uſus, & illicita ejusmodi Uſus invaſio, ſeu violatio remonſtraretur, in Caſibus Pecorum amiſſionem ſecum ferentibus, eorundem amiſſio ſequeretur, unde hujusmodi Caſuum, & Queſtionum, metas & earum uſum, ac poſſeſſionem involventium, reſtrictivè etiam quoad damni refuſionem diſquiſitio, & deciſio, authoritatem Judicis Nobilium ſuperaret, verum ad Vice Comitem ſpectare videretur.

QUÆ-

## QUÆSTIO VIII.

*In præmiſſis Caſibus, quis executor eſt ſententiæ?*

SI Proceſſus agitetur, ſive de Marcis, ſive de damnis, ubi Territorialis differentia non involvitur, coram Judice Nobilium, idem Judex Nobilium eſt etiam Executor, in nonnullis autem Comitatibus, Juratus Aſſeſſor exmittitur, pro executione; ſi tamen ad Actum violentum agatur, ubi Judex eſt Vice-Comes, cum Judice Nobilium, & Jurato Aſſeſſore, eo in Caſu quoque, in nonnullis Comitatibus Vice Comes executionem quoque peragit, in quibusdam vero Judex Nobilium, cum Jurato Aſſeſſore, pro executione exmittitur.

## QUÆSTIO IX.

*Si Pecora ex Loco, intra duos Comitatus, ſive controverſo, ſive in Controverſiam ſumpto, abvagiantur, ratione cujus abvagiationis, indirectè, & præjudicioſè factæ, aut verò pecorum illicitæ impulſionis, ſi procedendum eſſet, medio cujus Comitatus Judicis, procedi deberet?*

SI hujusmodi Caſus interveniat, vel eſt locus talis, per totum indiſputabilis, ut impellens, contra abvagiantem, de indiſputabili uſu, ſufficientes Teſtes habere poſſit, nec metueretur controverſia, velut de loco, nunquam

nunquam in controverſia exiſtente, & per aliam quoque partem pro non controverſo tento, extunc medio ejus Judicis, procedendum eſſet, pro qua, parte, alia quoque non difficultante, Terrenum indiſputabiliter uſuatur, vel etiam notoriè, ab utrinque locus indiſputabilis recognoſcitur, nam quam primum ad Teſtes devenit, jam non abſunt difficultates, quo in Caſu magna Partium ſinceritas requiritur, alias, ut modo ipſe Judicatus difficultari poſſit, ad minus couſum prætextuant, quandoquidem in Vicinia, Paſcua in tantum non difficultarentur; adeoque de tali quali uſu, etiam tales quales Teſtes, de facili haberi poſſent; periculoſum autem eſſet, ſi abigens, de violentia, in uno Comitatu, & ille, cujus Pecora ſunt abacta itidem de violenta abactione, in alio Comitatu procedere poſſent; eveniret etenim de facili, ut Teſtes, in uno Comitatu, coram Judice ejusdem Comitatus ſtatui, & per qualeſcunque Quæſtiones, pro ejusdem Comitatus limitibus, deſervientes, examinati, pro eodem faterentur: & à contrario, in alio Comitatu Statuti, ac eodem modo examinati, pro vicini Comitatus limitibus, Teſtimonia præberent, unde in hujusmodi Caſu, Judice diſintereſſato carente, ſub Dieta *Anni* 1729. Regnicolæ apposuerunt Articulum, ut Palatinus, juxta

*Anni*

*Anni 1618. Articulum 71. & 1635. Articulum 19.* differentiarum inter duos Comitatus vigentium, Judex, ex vicino Comitatu, Vice Comitem, cum Judicibus ejusdem Comitatus, veluti diſintereſſatos Judices, delegare potuiſſet, attamen ejusmodi Articulus, ex publicis conſtitutionibus, ſeu ſerie articulorum emanſit, videreturque ſimilis Caſus ordinario Judice deſtitutus remanſiſſe, ad *Anni 1715. Articulum 17.* continentem, ut pro diverſitate Cauſarum Judice Legali deſtitutarum, Regiæ authoritatis ſit, Judices ad qualitates, & merita Cauſarum convenientes delegare.

# QUÆSTIO X.

*Controverſia, intra duos Comitatus, ſeu vigente, ſeu ſuſcitata, ſiquidem ex* Articulo 42. *novello, Pecora, illius Comitatus Judici ſunt aſſignanda ad quem impelluntur, & jam ex Lege ab eodem, erga Cautionem reſtitutionis, ad Judicium extradantur; ad cujus itaque Judicis authoritatem ſpectat iſte Proceſſus: ut talium pecorum, legitimè, vel illegitimè, ex Terreno Comitatus hujus vel illius, facta abactio, Terrenique pacificus, ad minus Annuus Uſus, diſquiratur, & determinetur, ſubmitti poſſit?*

HOc in Caſu quoque, recurrit Quæſtio controverſiæ, inter Comitatus, reſpectu diffe-

differentiæ Territorialis, quoad Proceſſum brevium, ſeu violentiarum, Judice carentem, vigentis, qualis abactio, cum adhunc Proceſſum quoque violentæ, vel licitæ impulſionis, uſusque illius Terreni annuus pacificus, per unius, vel alterius Comitatus Dominos Terreſtres practicatus, ſeu obſervatus ſemper recurreret, quem uſum diſintereſſatum, Judex cognoſcere deberet, unde iſte Caſus quoque veluti Judice deſtitutus, ad ſupremam poteſtatem Regiam ſpectaret, nam aliàs, illæ inconvenientiæ evenirent, ut utriusque Comitatus Commetanei, cum miſeræ Plebis extrema ruina, graviſſimisque contentionibus, aut etiam cedibus, Pecora pro, & contra abacta, per Judices domeſticos Comitatenſes, pro Incolis ſeu Dominis Terreſtribus, in eodem Comitatu exiſtentibus, abjudicari, vel adjudicari poſſent.

# QUÆSTIO XI.

*Si pecora, ex loco inter duos Comitatus in controverſiam ſumpto, abigantur, habeatque abigens, in eodem Comitatu Bona, ubi Contrapars, cujus Pecora abiguntur, reſidet: aut è contrà, ille, qui pecora indirectè impulit, vel Territorium vicini Comitatus invaſit, in illo Comitatu, reſpectu cujus, per abigentem, illicita invaſio, prætenditur, Bona habeat, adeoque ex ratione Bonorum poſſeſſionis, Jurisdictioni Comitatus ejusdem ſubjacet, an in illo Comitatu, contrà abigentem, & è contrà procedere licitum ſit?*

SI locus ſit indiſputabilis, & evidentia rei ſecum fert, tuteque Teſtes contrà abigentem haberi Poſſent, nec eliceretur quoquomodo controverſia, ex tunc quamvis, ex ea ratione, quod ibidem Bona haberet, & ex eo indiſputabili ſuppoſito, quod de tali loco, nulla unquam inter Comitatus controverſia interceſſerit, in illo Comitatu alias, ubi violentus Bona haberet, procedi poſſet, ſi tamen de loco, quæcunque controverſia intercurrat, neutriusComitatus Judices, Judicatum ſibi vendicare valerent, cum Judicatus talis, non ex Compoſſeſſione in Comitatu, verum ex Judicis Jurisdictione abſoluta, & indiſputabili, in locum illum, unde Abactio interceſſit, conſiderandus, & dignoſcendus veniret. Cum etenim, ex Regula Juris, Actor forum

forum rei ſequeretur, taliſque locus, inter duos Comitatus diſputabilis, vel in diſputationem ſumptus, foro, & Judice legalibus deſtitueretur, hinc jure merito, neutrius Comitatus Judices, hac in parte Judicatum ſibi vendicare poſſent.

# QUÆSTIO XII.

### *In facto abactionis Pecorum, an ſubditi, aut ſervitores, vel etiam Territoriorum Cuſtodes, ad teſtificandum admittendi?*

JUxta contenta Legis *Anni 1729 Articuli 26.* ſi allii Teſtes, in qualicunque civili negotio haberi nequirent, etiam ſubditi, aut ſervientes diſintereſſati, ad teſtificandum admitti valerent, verum reſpectu Cuſtodum, & incuſantium, ac quandoque excedentium, diverſa videtur eſſe ratio; qui cum prætenſivè damnum inferentium, vel alienum Terrenum invadentium, ipſi eſſent aut agreſſores, & rerum ablatores, quandoque autem non minus, quam ſpoliatores, & contra eum, qui damna intulliſſe prætenditur, delatores hacque ratione intereſſati efficerentur, ſors horum ad abjurationem potiùs ſpectare cenſeretur; ſi proinde nullum alieno Teſtimonium, aut rei evenditia, ſuper facto conſtare poſſet, videretur imprudentis Judicis Judicio ſubſiſtere, ex diſquiſitione rei ſubſtratæ, & actus inten-

tati, cuinam Parti Juramentum admittendum, vel verò imponendum eſſet.

# QUÆSTIO XIII.

## *Si de localitate abactionis, & abvagiationis diſputetur, quid eſſet Judici faciendum?*

VEl Quæſtio eſt de Loco, ubi ille, qui abigitur, actum illicitum, ſeu ſucciſionis, ſeu paſcuationis, commiſit; velverô de loco, unde abactio, & invagiatio facta fuiſſe prætenditur: verum quia fundamentum actus illiciti, conſiſtit in localitate, illicitæ Lignorum ſucciſionis, aut Paſcuationis, unde hoc ipſum diſquirendum veniret, ſive per rei factæ circumſtantias, & oculatam, ſive etiam per Teſtes; ſi etenim Cuſtodes, quempiam extra Locum delicti, in continenti perſecutum, in eodem Territorio, poſſunt abvagiare, pro Teſtimonio, actus illiciti, ut alibi dictum, talis abvagiatio ſubſiſtere poſſet, ad quem perſecutionis actum, paritas Legalis *Anni 1729. Articuli* 22. de venatione, & ferarum perſecutione, deſummi poteſt. Si nihilominus, ex pura conjectura, quiſcunque obvius, extra locum talem, ubi actum illicitum patraſſe conjiceretur, multò magis autem, in alieno Territorio deprehendatur, eotum Cuſtodibus Territoriorum, ex violenta præſumptione, eundem, aggredi haud liceret, ſed,

ſed, ſi quid prætenſionis, contra ipſum ſupereſſet, via juris procedendum veniret, cum & aliàs, Leges de abvagiationibus ſonantes, determinatè, & poſitivè contra illos ſonarent, qui in loco delicti deprehenderentur.

# QUÆSTIO XIV.

*An poſſint marcæ, pro certo tempore, deſſumi, pecoribus apud partem detinentem, pro ulteriori marcarum accreſcentia, permiſſis?*

LEges de Marcarum unius ordinis deſumptione ſonarent, qua occaſione, ſiquidem Birſagium Legale, Terminum ſortitur, imò, & deſumptio Marcarum Terminum poneret, eotumque, nonniſi Damnum, retentorum pecorum, refundendum reſultaret; ſi proindè pecorum, rehabitionem omittat, ſibi imputare deberet, hac enim ratione, & abſurda infinita evenirent, & immortales Lites efficerentur, Incolasque locorum, paſſim extremam ruinam ſubire opporteret.

# QUÆSTIO XV.

*Si Ruſticus, vel Officialis pecora detineat, an marcæ per impenſionem, vel Judicem Comitatenſem deſumendæ?*

COmbinatio *Titulo* 33. *Partis* 3. de marcarum deſumptione, & ſubdiviſione, *ac Partis* 3. *Titulo*

*Titulo 26.* de impenſionibus ſonante, ex iisdem, eliceretur, diverſos Judices eſſe impenſionales, & alios Proceſſus marcalis, ejusmodi ſi quidem marcæ, medio Judicis Comitatenſis deſumendæ, & cum eo, ac parte Actorea dividendæ ven[illegible]ent. Cum etenim in talismodi neglecta reſignatione, plerumque Officiales, & ipſi Domini Terreſtres intereſſarentur, iidemque intereſſati Judices quadantenus eſſe viderentur, & aliàs Birſagiorum, ex contemptu Judiciario, emerſorum, deſumptio, ad Comitatus vel Regni Judices ſpectare dignoſceretur, ad quæ Domini Terreſtres nihil haberent; verum de ſubditorum ſuorum violentiis, & eatenùs iisdem Judicandis, Legalis facultas eisdem attributa haberetur, ex eo hujuſmodi Birſagia, medio eorum Judicum, quorum authoritatem concernunt, deſumenda cenſerentur.

# QUÆSTIO XVI.

***Si talis qualis Officialis, in abactione intereſſatus, pecora ultra triduum detineat, an pro tali actu, marcæ, à Domino Terreſtri deſumendæ?***

SIcut in Actibus violentiarum, pro Officialibus, ex officiolatu citatis, vigore *Anni* 1659. *Articuli* 33. & ibidem citati *Tituli* 48. *Partis* 2. Domini Terreſtres ſatisfacere tenentur, illique ad eosdem officiales regreſſum haberent;

rent; & nec inconvenienter, incumberet etenim Domino Terreſtri, talem prudentem, Legum Patriæ gnarum, & aliquid habentem officialem tenere, qui contra Jura vicinitatis, & Legis Patrias haud excederet, adeoque aliis injurias non inferret, quò in Caſu Dominus Terreſtris, ad eundem regreſſum haberet; aliàs enim per quoſcunque nihil habentes, pro officiolatibus adhibitos, culpa Domini tales Officiales tenentis, per eos aliis gravisſimæ injuriæ impunè inferri valerent, pari ratione, pecorum abactorum detentionis in Caſu, ſi officialis ipſe id intentaret, ex Domino, talem Jurium Patriæ ignarum Officialem tenente, marcæ juræ merito deſumi poſſent; verum quia Leges, directè ad actus violentos reſtrictæ haberentur, ac aliàs plerumque per ſubditos talia pecora abiguntur, & ex ſuppoſito, per abigentes detinentur, eorum marcæ directè ex Detentoribus deſumendæ venirent.

# QUÆSTIO XVII.

*Quodſi pecora ad tertias, quartas manus, vel etiam ad Dominum Terreſtrem, aut Officialem devenirent, & ille talia pecora detineat; an propterea ſubditus ruinari debeat?*

QUamvis, Parti cujus Pecora abiguntur de detentione, quoad marcas directè

 Actio

Actio eſſet contra abigentes, ſi tamen ſeu Officiales, ſeu Domini Terreſtres in detentione culpabiles eſſe viderentur, priusquam miſeri Incolæ iñocenter damnificari deberent, præſtaret eo in Caſu, & Officialem, & Dominum Terreſtrem ad marcas perſolvendas certificare, ita, ut rei veritate diſquiſita, ex culpabili, Pecora detinente, marcæ deſumi poſſint.

## QUÆSTIO XVIII.

### *De Cauſis, & Caſibus marcalis Proceſſus, an in iisdem intra, vel extra Dominum appellata admittatur?*

SEcundùm contenta Legis *Anni 1729. Articuli 28.* ibidem ſpecificantur Cauſæ, quæ nimirum, ad Curiam Regiam, extra Dominum appellari debeant, ita ut non ſpecificatæ, intràDominium, appellabiles ſint, cum autem nulla mentio marcalis Proceſſus ibidem contineretur, ſequeretur talem Proceſſum, intra Dominium appellabilem eſſe, ita & ex *Articulo* immediatè ſequente 29. conſtat, quæcunque Causæ ex Comitatu, intra Dominium appellabiles eſſent, illas etiam intrà Comitatum in Partibus reviſas, taliter ad Comitatum, intra Dominium tranſmittendas eſſe.

Quo-

## Quomodo damna per Pecudes, & Pecora illata recuperari debeant?

*PARTIS III. TITULUS XXXIII.*

1. Item ſi quis Nobilium, aut Ruſticorum, Equos, Boves, Oves, Porcos, aliàs Pecudes vel Pecora.
2. De Segetibus, aut Pratis, & Fœnilibus.
3. Vel Sylvis glandinoſis prohibitis, propter illata damna impulerit, vagiandos, & taxandos.
4. Et Dominus ejuſcemodi animalium contumacià ductus, illa redimere noluerit.
5. Tunc Damnificatus ipſe non amplius, niſi per triduum, apud ſe eadem animalia, conſervare poterit.
6. Tranſactis autem tribus ipſis diebus.
7. Manibus ſui Comitis, vel Vice Comitis Parochialis.
8. Abſente vero illo, ad manus unius Judicis Nobilium.
9. Cujus ſcilicet Proceſſui Territorium illud damnificatum deſervire dignoſcitur, dare & aſſignare tenetur.
10. Nam alitèr poſt triduum.
11. Singulis diebus, quibus animalia prænotata apud ſe reſervaverit.
12. In ſingulis tribus marcis gravis ponderis.
13. In duabus Judiciariis.



14. In

14. In tertia vero partibus adverſarii manibus dandis, & exolvendis.
15. Impellens, & vagiator, ipſe gravabitur.
16. Damna autem irrogata.
17. Secundum Conſcientioſam limitationem ac æſtimationem.
18. Judices, & Juratorum Civium illius Loci, in cujus Territorio fuerint illata.
19. Compenſari, debent.
20. Nam prohibitio, cum ſpeciali, & expreſſo onere facta.
21. Ne in ſegetibus, aut pratis, vel ſylvis damna inferantur.
22. Ad Colonos duntaxat, ejus Loci, in cujus Territorio hujuſmodi ſegetes, ſylvæ, vel prata adjacent, refertur.
23. Extranei enim non onus Inhibitionis.
24. Sed damni qualitatem ſolvere tenentur.
25. Ubi autem Colonus furtim.
26. Vel manifeſtè, manu violenta, ſylvam ſucciderit.
27. Vel arbores ejus decorticaverit.
28. Et ibidem comprehendi poterit.
29. Omnia bona ſecum habita amittet.
30. Et inſuper in Homagio ſuo, pro violentia convincetur.

De

# De modo, & Proceſſu Invagiationis, & Abvagiationis Pecorum.

*ANNI M. DCC. XXIX. ARTICULUS XLII.*

*Pro præcludendis ulterioribus in Materia Invagiationis, Abactionisque Pecorum Quæſtionibus, & abuſibus, decernitur.*

1. UT Pacora non tantum talia, quæ mere ob illatum dâmnum, ( adeoque non intercedente Loci Controverſia) invagiantur.
